DE PACE CIMONICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

DIE IX. MENSIS MAJI ANNI MDCCCLXIII

H. XI L. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS HIECKE,

MERSEBURGENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

R. DORSCHEL, DR. PHIL.

A. MACIEJEWSKI, CAND. PHIL.

L. JAHN, CAND. PHIL.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

AVUNCULO OPTIMO

FRIDERICO GUSTAVO KIESSLINGIO

GYMNASII JOACHIMICI DIRECTORI

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Quemadmodum victoriae Marathonia et Salaminia miris laudibus praedicatae sunt, ita non minus insignis est in rerum Atheniensium historia pax Cimonica[1]). Neque adeo mirum est, quod Athenienses iis temporibus, quibus ex rebus a majoribus praeclare gestis nihil supererat nisi memoria pristinae gloriae, illam quoque pacem ad coelum laudibus efferre solebant. Nonne ea finis erat impositus bellis Persicis, quae pro libertate patriae tuenda suscepta erant? Nonne immane quantum Cimonica discrepabat a pace Antalcidica, qua civitates Asiae minoris Graecae Persarum arbitrio permissae erant? Nam Athenienses regem eo adegerant, ut civitates illas liberas dimitteret, ut polliceretur, se neque copiis pedestribus intra certum quoddam spatium ad mare descensurum, neque ultra insulas Chelidonias Cyaneasque naves longas missurum esse. — Sed jam veteres rerum scriptores de gloria Atheniensium detrahere ausi sunt. Callisthenes pacem factam esse negavit, Theopompus columnam, quae pacis condiciones referebat, subditiciam esse judicavit. Neque vero ad suas opiniones adduxerunt aequales posterosve. Craterus enim inscriptiones istas suae psephismatum collectioni inseruit; Diodorus Ephori sine dubio auctoritatem secutus quae de pace acta sunt, enarratius exposuit; Plutarchus in laudando Callisthenis multum a ceteris discrepante judicio nihil aliud egisse videtur quam ut sententiam admodum mirificam memoriae traderet. Neque minus ea pace usi sunt Aristides et Himerius in praedicandis Atheniensibus quam Demosthenes et Lycurgus. — Nostro demum saeculo de pacis veritate denuo dubi-

1) Jam multi monuerunt, paci Calliae potius, qui eam conciliasse dicitur, quam Cimonis nomen debuisse imponi.

tari coeptum est, et postquam Dahlmannus[2]) et C. Gu. Krgerus[3]) de hac quaestione copiosissime et subtilissime putaverunt, rem actam agere videbatur, si quis pacem care studeret. Et sane sunt multa, quae aliquem induc possint, ut pacem factam esse neget. Neque enim de temp quo illa pace bellis Persicis finis sit impositus, consentiu veteres scriptores; atque etiam aliae ab aliis pacis condicione exhibentur, neque eae rerum id temporis condicioni congruunt. Huc accedit, quod nonnulli veteres pacem in dubium vocaverunt. Quae cum ita essent, viri illi doctissimi, cum praesertim nullum gloriosissimae istius rei vestigium ante ol. 99. in literarum Graecarum monumentis reprehenderent, in eam adducti sunt opinionem, ut nihil veri pacis condicionibus a veteribus traditis subesse, sed pace Antalcidica illos rumores excitatos esse statuerent. — Neque tamen desunt viri summae auctoritatis, qui a Dahlmanno et Kruegero dissenserint. Grotius[4]) pacem tueri conatus est, ejusque argumentis nova quaedam haud spernenda addidit Aemilius Muellerus[5]). Astipulatus est iis C. Fr. Hermannus[6]), et Schaeferus quoque, praeceptor noster dilectissimus, cum in scholis quas habuit de historia antiqua hujus quaestionis mentionem faceret, se idem sentire dixit. Nos vero iis, quae in utramque partem disputata sunt, inter se collatis et compensatis non illuc adducti sumus, ut altera istarum sententia comprobanda esse videretur. Neque vero accesserimus ad Kleinertii[7]) et E. Curtii[8]) opinionem, qui mediam quasi quandam ingressi viam confectam esse pacem negaverunt, actum tamen esse de ea componenda

---

2) „Forschungen auf dem Gebiete der Gesch.“ I.

3) „Histor.-philol. Studien.“ I., p. 74. sqq.

4) „Gesch. Griechenlands. Uebers. v. Meissner“ III. p. 260 sqq. Quae a Grotio afferantur ad sententiam suam comprobandam, non tantum valere, ut is argumenta pacem reprobantium refellisse dici possit, Luppo Dikema sibi proposuit demonstare. („Dissert. histor. de pace C.“ Groening. MDCCCLIX).

5) In Museo Rhenano 1859. p. 151. sqq.

6) „Lehrbuch der griech. Staatsalterth.“ ed. 4. §. 39. N. 7. p. 134. sq.

7) Kleinertii sententiam non nisi ex iis, quae Kruegerus l. l. 142. sq. protulit, cognoscere nobis licuit.

8) „Griech. Gesch.“ II, p. 184. sq.

censuerunt; qua quidem judicandi ratione nihil proficitur. Neque iis quae *Lachmannus*[9]) protulit, assentiendum esse arbitror. Is enim mira quadam credulitate quaecunque de ista re apud scriptores inveniuntur, retinuit et ex uno tria effecit foedera[10]).

Verendum est ne impudentiae crimen in me conferatur, quod tot tantorumque virorum placita repudiaverim. Novam tamen sententiam quamvis timide proponam, quandoquidem, quae adhuc disputata sunt, alia ab alia parte non injuria impugnata esse intellexerim. Et Grotius quidem mihi probavit, factam esse pacem, Kruegerus, quas posteriores praedicarent, pacis leges fictas esse. Quorum sententiae cur non ita inter se concilientur, ut condicionum eas, quae statui rerum ex aliis testimoniis satis noto non congruant, commenticias esse statuamus? Ea autem mera videri posset hariolatio, nisi hujus opinionis ansam daret ipsa pacis historia. *Convenisse igitur pacem censemus, ita tamen ut maris limes, supra quem Athenienslbus non minus quam Persis navibus longis egredi non liceret, constitueretur Phaselis, ne porro Athenienses in eas regiones, quae Artaxerxi parerent, irruptionem facerent, neve Persae Cypri urbibus quibusdam Graecis, quae iis cederentur, certo tributo plus imponerent.* Illud quoque pacti videntur esse Athenienses, ne naves suae mercatoriae ab ullo Persarum portu excluderentur. Commercii enim eos, cum

9) „Dissertatio de pace C.“ (Vratisl. 1835). Ejus subtilissime censuram egit Kruegerus p. 137. sqq.

10) Ne quis miretur, nos tam paucorum afferre sententias, non id nobis proposuimus, ut historiam pacis usque ad nostram aetatem persequamur. Eo magis autem non opus esse existimavimus, quae recentiores judicaverunt, omnia deinceps enumerare, quod quaecunque contra pacis veritatem vidimus alios disputasse, invenimus eadem apud Dahlmannum et Kruegerum, neque qui a Grotii partibus stant, ab ejusdem argumentis discesserunt. Ceterum indicem librorum de pace C. conscriptorum exhibent Hermannus l. l. et Dahlmannus (p. 2.). — Illud quoque hoc loco praemoneamus, Kruegeri sententiae nos magis quam Dahlmanni rationem habituros. Illius enim, quamquam non negaverim Dahlmannum primum de hac quaestione accuratius disseruisse, multo est subtilior disputatio.

bellum componerent, nullam rationem habuisse vix credibile est; immo vero eo animus inclinat, ut arbitrer paci illi gloriosissimae nihil nisi pactionem quasi quandam mercatoriam subesse.

Ita autem hanc nostram sententiam probaturi sumus, ut primum historiam pacis persequamur, deinde de columna pacis condiciones referente et de scriptoribus, qui pacem factam esse, negaverunt, disputemus, tum de argumentis, quae ex tota illorum temporum historia peti possunt, agamus, postremo de Callia pacis reconciliatore dicamus.

I.

Historiam pacis expositaris primum est nobis disputandum de silentio antiquorum scriptorum, qui res gestas illorum temporum memoriae prodiderunt. Eos enim multi magnopere mirati sunt, rem tam insignem nullo verbo commemorasse. Nos vero huic rei non tantum auctoritatis tribuere possumus, quandoquidem ex pace tali, qualem nos fuisse arbitramur, non adeo multum laudis Athenienses habuerunt. Eamque ipsam ob causam nostram de tota quaestione sententiam, aliquantum a consuetudine recedentes, initio totius disputationis proposuimus. Venia igitur est petenda, si quando ad eam adbuc quidem argumentis indigentem confugiemus. Attamen speramus nos alia quoque ratione demonstraturos esse, Kruegerum aliosque de hoc loco non recte disputasse.

Et scriptorum illorum Kruegerus [11]) censet antiquissimum esse Charonem Lampsacenum, qui bellorum Persicorum aetate floruerit. Eum autem et de rebus Persicis et de rebus Graecis tractasse et compluria, quae Artaxerxe regnante facta essent, narrasse; omnibus vero praeter Diodorum testimoniis paulo post quam ad Artaxerxem regnum venisset, pacem Cimonicam compositam esse affirmari. Nolo hoc loco virum doctissimum impugnare, quamquam in medio relinquendum esse putaverim, num Charon eo tempore, quo pugna apud Salamina Cypriam commissa est, in vivis fuerit. Facile igitur si quis Diodori auctoritatem haud spernendam sequi maluerit, statuat, ne potuisse quidem eum de pace illa disputare. Alterum certe,

11) p. 83. sq.

ad quem provocat Kruegerus[12]), Hellanicum, absque dubio est, de eo, quo pax conciliata esse dicitur, temporis spatio tractasse. Neutrum autem pacis mentionem fecisse vir acutissimus inde apparere arbitratur, quod Plutarchus, quamquam saepius iis scriptoribus usus sit, eorum non meminerit hoc potissimum loco, quo pacem illam revera factam esse demonstrare studeat. Quod argumentum etiam per se satis infirmum, Kruegerus ipse postea rejecit[13]).. Vehementer enim mutavit sententiam suam, cum alio loco dicat, Plutarchum pacis veritatem aperte in dubium vocare. Quarum opinionum inter se repugnantium utri assentiendum est? Aut fallor, aut Plutarchus[14]) pacem tanquam non dubiam protulit neque accuratius in eam rem inquisivisse, sed quae in promptu erant, exprompsisse putandus est. Neque enim in conscribenda historia id egit, ut quantum fieri posset, omnia veterum testimonia exhiberet; id quod non opus est exemplis ornare.

Tertio loco Kruegerus[15]) Ctesiae silentium attulit; quem pacis non meminisse inde non recte colligi posse, quod Plutarchus ejus sententiam non attigerit, satis demonstrasse mihi videor. Attamen si Photii excerptis fides est habenda, revera Ctesias foedus illud non commemoravit. Sed ne pugnas quidem, quae apud Eurymedontem et apud Salamina Cypriam commissae sunt, narravit et omnino satis neglegenter de toto illo temporis spatio egit. Ctesias igitur, si quis historicorum silentio aliquid tribuere velit, de eo numero eximendus est.

Veniamus nunc ad Thucydidem, qui in primo libro egressus a proposito ea, quae inter expeditionem Xerxis et bellum Peloponnesiacum facta sunt, narravit. Ibi et pugnam apud Eurymedontem factam et expeditionem, quam Cimon in Cyprum suscepit, suo loco commemoravit, pacis conjunctae nullam fecit mentionem. Ex quo effici Dahlmannus[16]), Kruegerus[17]) alii arbitrati sunt, eum pacem ignorasse. Grotius contra et, qui ab ejus partibus stant, scriptoris de pace silen-

12) p. 83. 13) P. 84. haec leguntur: „Plutarch, der Beweise für den Frieden suchte"; — p. 122. haec: „Plutarchos, der die Glaubwürdigkeit des Friedens ausdrücklich in Frage stellt."

14) Vit. Cimonis c. 13. 15) p. 84.

16) p. 14. sqq. 17) p. 84. sq.

tium explicari posse censuerunt. Quorum utri recte judicare videantur, non difficile est ad disceptandum, quandoquidem Thucydides [18]) ipse disertis verbis indicavit, cur a proposito declinaret: "Εγραψα δέ, ait, αὐτὰ καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐποιησάμην διὰ τόδε ὅτι τοῖς πρὸ ἐμοῦ ἅπασιν ἐκλιπὲς τοῦτο ἦν τὸ χωρίον καὶ ἢ τὰ πρὸ τῶν Μηδικῶν Ἑλληνικὰ ξυνετίθεσαν ἢ αὐτὰ τὰ Μηδικά· τούτων δὲ ὅσπερ καὶ ἥψατο ἐν τῇ Ἀττικῇ ξυγγραφῇ, Ἑλλάνικος βραχέως τε καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη. ἅμα δὲ καὶ τῆς ἀρχῆς ἀπόδειξιν ἔχει τῆς τῶν Ἀθηναίων ἐν οἵῳ τρόπῳ κατέστη. Secus judicavit Kruegerus, id potissimum scriptorem egisse, ut qua ratione Atheniensium opes paulatim auctae essent, exponeret; neque hoc ut probaret, afferre debuit quae initio capitis 89. inveniuntur. Nam inde ab eo loco haec fere narrantur: Persis ad Mycalen devictis Spartani domum redierunt, Athenienses autem Sestum expugnaverunt et domum reversi urbem et moenia exstruxerunt. Deinde commemoratur, qui factum sit, ut imperium ad Athenienses deferretur et qualis principatus illis temporibus condicio fuerit. Tum vero pergitur [19]): ἡγούμενοι δὲ αὐτονόμων τὸ πρῶτον τῶν ξυμμάχων καὶ ἀπὸ κοινῶν ξυνόδων βουλευόντων τοσάδε ἐπῆλθον πολέμῳ τε καὶ διαχειρίσαι πραγμάτων μεταξὺ τοῦδε τοῦ πολέμου καὶ τοῦ Μηδικοῦ, ἃ ἐγένετο πρός τε τὸν βάρβαρον αὐτοῖς καὶ πρὸς τοὺς σφετέρους ξυμμάχους νεωτερίζοντας καὶ Πελοποννησίων τοὺς ἀεὶ προστυγχάνοντας ἐν ἑκάστῳ. Jam quae sequuntur supra apposuimus. Nihil igitur ad sequentia pertinet, qua de causa scriptor ea quae antecedunt, persecutus sit. Id potius sibi proposuit, ut quae Hellanicus admodum breviter et temporum ratione non diligenter adhibita protulisset, accuratius tractaret. Quod autem adjicit, simul etiam demonstrari, quale imperium Atheniensium constitutum fuerit, ex ipsis verbis manifestum fit, non proprie eum id egisse, ut quanta Athenienses incrementa cepissent, disputaret. Jam ut quae narravit, ipsa inspiciamus, Thucydides, si tale hoc loco habuisset consilium, quale Kruegerus aliique ei affingunt, nonne expugnatam Thraciae oram [20]), transportatum

18) I, 97. §. 2. 19) I, 97. §. 1.

20) Nonnisi Eionem expugnatam esse, I. 98. narrat, de Dorisco,

Delo Athenas aerarium[21]), deductas colonias et cleruchias[22]) commemorare debuit? Aut Thucydides neglegentissimum se praestitit, aut — quod supra ex ipsius verbis effecimus — non id sibi proposuit, ut, qua ratione Atheniensium opes adauctae essent, dissereret. At qui fit, objiciat Kruegerus, ut de pace Cimonica taceat, foedus istud quinquennale non omittat? Sine dubio illud foedus anno 450. ictum ad eventum rerum, quas Thucydides breviter enarrat, multo majoris momenti erat quam pax Cimonica. Deinde cur ille scriptor de iis, quae supra attulimus, ne uno quidem verbo exponit? Cur foederis inter Argivos et Spartanos tricennalis, quod quantum ad bellum Peloponnesiacum valuerit, non potuit non videre, hoc loco non meminit? Cum Thucydidem idem, de quo Hellanicum reprehendat, peccasse, neque magis diligenter atque illum rem egisse, statuere non possimus, nihil relinquitur, quam ut ideo eum istas res omisisse putemus, quod Hellanicus satis accurate de iis tractasse videbatur. Eadem ratione explicare licet, cur pacis Cimonicae nullam intulerit mentionem. Praeterea nihil impedit, quominus sic statuamus, ut pax, qualem nos quidem fuisse arbitramur, vix memoratu digna ei visa sit[23]).

Thucydidem excipiat Herodotus, qui multa quae post pugnam Plataeensem gesta sunt, per occasionem narravit. Eoque magis ejus de pace illa testimonium aliquis requirere possit, quod in Atheniensibus solis totius Graecae salutem positam fuisse, profiteri non dubitavit. Omnium autem maxime Kruegerum aliosque offendit, quod Herodotus ubi de legatione, quam Callias ad regem Persarum suscepit, loquitur, nullo verbo de pace illa gloriosissima tum actum esse significat, sed nihil

---

quam urbem Mascamen fortissime defendisse Herodotus VII. 106. exhibet, aliisque Thraciae oppidis nullam mentionem injicit.

21) cf. de ea re Plut. Aristid. c. 25. Diodor. XII. 38.

22) De Thuriis conditis et cleruchiis a Pericle deductis (de quibus v. Plut. Pericl. c. 11. Diodor. XI, 88.) nullo verbo loquitur; Amphipolim anno 437. conditam esse postea demum (IV, 102.) exponit.

23) Utrum Hellanicus pacem commemoraverit necne, me quidem judice ex Thucydidis de eadem re silentio dijudicari non potest. Rectissime Dahlmannum (p. 17.) secus judicantem refutavit Dikema, cum interea ipse sententiam non minus mirificam proponat. (p. 8).

aliud quam diversum fuisse id quod Athenienses sequerentur, a consilio Argivorum, qui et ipsi ad regem eo tempore miserant[24]). Quo de loco cum infra accuratius disputandum sit, nunc satis est dixisse, Herodotum egredientem a proposito ea quae de Argivis exponat, narrare, et si de Calliae legatione ibi per occasionem commemorata uberius disseruisset, futurum fuisse, ut in ipsa declinatione declinans narrationem praecideret. In universum autem saepe evenit, ut non intellegi possit, cur scriptores aliquam rem ad id potissimum, quod sibi proposuerunt, vel maxime pertinentem omiserint; saepe accidit, ut nobis non liqueat, cur scriptores a proposita narratione discesserint; plus vero aequo postulat, si quis postulat, ut explicetur, cur non scriptores deflectentes aliquam rem attigerint. Ceterum si cui haec argumenta non sufficiant, admodum probabilis est eorum sententia, qui Herodotum ultra annum 479. rerum gestarum narrationem producturum fuisse arbitrantur[25]).

Iisdem, quae supra de condicionibus pacis disputata sunt, uti licet ad explicandum, cur foedus illud non celebraverint Aristophanes et Pindarus, a quibus Athenienses paene divinis laudibus elatos esse Kruegerus[26]) et Dahlmannus[27]) satis superque demonstraverunt. Scilicet eam ipsam ob rem non mirum est, quod pacem, ex qua Athenienses non adeo amplam sibi pepererunt laudem, silentio praeterierunt.

Reliquum est ut de duobus Andocidis locis dicamus, quibus Kruegerus[28]) oportuisse censet, pacis Cimonicae mentionem injici. Multum, ait, offensionis habet, quod Andocides in ea, quam de mysteriis habuit, oratione, Atheniensibus concordiam commendans, concordia factum esse commemoravit, ut principatum nanciscerentur, regem Persarum ita fregisse eos et comminuisse, ut ad foedus pangendum descenderet, silentio praeteriit; cujus eo magis mentionem facere debuit, quod paulo ante narravit, Persas Graeciam subigere conatos esse. At si accuratius totum, qui huc pertinet, locum inspexeris, vix opinor Andocidi vitio vertes, quod pacem Cimonicam

---

24) Verbis *ἑτέρου πρήγματος ἕνεκα* utitur Herodotus VII, 151.
25) De Herod. VI, 42. postea dicetur.
26) p. 98. sq. 27) p. 57. sqq. 28) p. 100.

omiserit. Nam inde a §. 106. demonstrare studet, quanto civibus commodo fuerint ea, quae ad pacem et concordiam inter semet ipsos conciliandam gesserint; id quod exemplis hunc ad modum illustrat. Tyrannis expulsis narrat, Athenienses de aliis supplicium sumsisse, alios ex urbe exturbasse, alios infamia notasse; postea vero cum a Persis Graeciae bellum inferretur, ejectos de exsilio revocasse et ignominia affectos in integrum restituisse; ita cum in concordiam rediissent, barbaris apud Marathona devictis Graeciam eos liberasse patriamque servasse; neque vero rebus tam egregie gestis eorum, quae quis antea egisset, memores fuisse, atque ita quod concordia conjuncti essent, principatum Graeciae obtinuisse et talem tantamque urbem tradidisse posteris. Deinde adhortatur cives, qui et ipsi antea eandem virtutem praestiterint, ne injurias acceptas insectentur. Hunc in modum cum hoc loco disseratur, orator meo quidem judicio recte fecit, quod pacis Cimonicae mentionem non intulit. Nam si de bellis Persicis copiosius tractaret, verendum erat, ne eos, qui audiebant, avocaret ab ea re, in quam animos intendere eos volebat. Certe non opus fuisse, illud foedus hoc loco commemorare, persuasum habeo.

Neque magis mihi probantur, quae Kruegerus de altero Andocidis loco disputavit[29]. Multo mirabilius esse dicit, quod orator cum quantos cives fructus ex pace facienda perceperint, exemplis probaturus sit, foedus quod belli Peloponnesiaci temporibus inter Athenienses et Persas convenerit, commemoret, illa gloriosa pace utendi occasionem dimittat. Cui opinioni tantum abest, ut accedam, ut assentiar Schaefero, qui primus quantum equidem sciam, monuit, eo loco[30] ipsam pacem Cimonicam

29) p. 100.

30) *Περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης* §. 28. sq., ubi haec sunt: *Ἐγὼ μὲν οὖν ἐκεῖνο δέδοικα μάλιστα, ὦ Ἀθηναῖοι, τὸ εἰθισμένον κακὸν, ὅτι τοὺς κρείττους φίλους ἀφιέντες ἀεὶ τοὺς ἥττους αἱρούμεθα, καὶ πόλεμον ποιούμεθα δι' ἑτέρους, ἐξὸν δι' ἡμᾶς αὐτοὺς εἰρήνην ἄγειν· οἵτινες πρῶτον μὲν βασιλεῖ τῷ μεγάλῳ (χρὴ γὰρ ἀναμνησθέντας τὰ γεγενημένα καλῶς βουλεύσασθαι) σπονδὰς ποιησάμενοι καὶ συνθέμενοι φιλίαν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον, ἃς ἡμῖν ἐπρέσβευσεν Ἐπίλυκος Τισάνδρου, τῆς μητρὸς τῆς ἡμετέρας ἀδελφός, ταῦτα Ἀμόργῃ πειθόμενοι τῷ δούλῳ τῷ βασιλέως καὶ φυγάδι*

significari. Kruegerus enim de illo foedere secus judicasse mihi videtur. „Angustiae“ inquit[31]) „in quas Athenienses Decelea communita praecipueque clade Siciliensi accepta redacti sunt, probabile faciunt, eos, cum quacunque possent ratione afflictis opibus suis succurrere studerent, Persarum quoque auxilium sibi conciliare conatos esse. Quod de hac re nihil a Thucydide proditum reperitur, non propterea dubitandum est de veritate narrationis Andocidis: Epilyco, oratoris avunculo, legato, foedus Persas inter et Athenienses compositum fuisse, quod horum modo imprudentia fregerit.“ — Contra ea multa sunt, quae afferri possiut. Et Spartani et Athenienses, ut regem Persarum in suas partes perducerent, identidem legatos inde ab initio belli Peloponnesiaci ad eum miserunt. Scilicet haud ignorabant, quauta ex ea re sibi fieret accessio. Et profecto discrimen toti bello fecisse, quod Persae Lacedaemoniis se adjungerent, uemo est qui neget. Jam vero Athenienses si rebus tanta calamitate afflictis societatem cum Persis iniissent, quis credat, tautae temeritatis fuisse, ut socio tam potenti amicitia reuuntiata Amorgi auxilium ferrent? Huc accedit, quod nullum ejus foederis vestigium reprehenditur apud Thucydidem, cujus auctoritatem hoc loco parvi aestimare non debuit Kruegerus, qui tantum ejusdem de pace Cimonica silentio tribuit. — Aliter de ea re sentit Dahlmannus[32]). Is enim sic statuere videtur, ut Epilycus in eorum numero fuerit, quos, ut supra diximus, Athenienses belli Peloponn. temporibus ad societatem cum rege conjungendam miserunt. Quam explicationem quominus accipiamus, impedit, quod infecta re eos rediisse constat. Neque vero est cur putemus, factum esse foedus Andocidem commentum esse. Contra nihil obstat, quominus pacem Cimonicam hoc loco indicari dicemus. Nam quod orator perhibet, Epilycum, non

---

τὴν μὲν βασιλέως δύναμιν ἀπεβαλόμεθα ὡς οὐδενὸς οὖσαν ἀξιάν, τὴν δ' Ἀμόργου φιλίαν εἱλόμεθα, κρείττω νομίσαντες εἶναι· ἀνθ' ὧν βασιλεὺς ὀργισθεὶς ἡμῖν σύμμαχος γενόμενος Λακεδαιμονίοις, παρέσχεν αὐτοῖς εἰς τὸν πόλεμον πεντακισχίλια τάλαντα, ἕως κατέλυσεν ἡμῶν τὴν δύναμιν· ἓν μὲν βούλευμα τοιοῦτον ἐβουλευσάμεθα· Συρακούσιοι δ' ὅτε ἦλθον ἡμῶν δεόμενοι κ. τ. λ.

31) Histor. Dionys. p. 351. sq. 32) p. 115.

Calliam istam pacem conciliasse, simili ratione de legatis, qui foedus tricennale cum Spartanis pepigerunt, nonnisi avum suum nominat[33]), cum Diodorus[34]) Calliae et Charetis nomina afferat. Cum vero vix credibile sit, Andocidem commenticiis familiam suam decoravisse honoribus, Epilycum decem, qui mitti solebant, legatorum unum fuisse verisimile est. Illud quoque in causa fuisse videtur, cur Dahlmannus foedus, de quo orator disputat, ad belli Peloponn. tempora referret, quod Athenienses recentes a societate juncta amicitiam violasse indicaretur. Talem enim sensum toti loco subesse eum putare, patet ex versione, quam adjicit. Sed quis non videt, *πρῶτον μέν* non nisi enumerationi singulorum exemplorum, quae scriptor propositurus est, inservire iisque vocabulis respondere, quae infra sequuntur, *Συρακούσιοι δέ*. — Atqui Kruegerus alio loco[35]) evicit, hanc Andocidis orationem anno 393. adscribendam esse. Secus igitur judicaverunt Kruegerus et Dahlmannus ante olymp. 99. nullum pacis vestigium reprehendi. Quod cum ita sit, virorum illorum de tota quaestione sententiae praecipuum argumentum detrahitur.

Eidem perversae de historia pacis sententiae imputandum est, quod Kruegerus censet ne in epitaphiis quidem, qui Lysiae et Platonis nomine feruntur, ullum inveniri locum, qui ad pacem Cimonicam referri possit. Istarum autem orationum illa quarto olymp. 96. anno adscribenda est, haec paulo post pacem Antalcidicam factam est composita[36]). In epitaphio vero, quem Lysias vel alius quis conscripsit, haec leguntur[37]): *μεγίστην δ' ἀπέδειξαν τήν ἑαυτῶν πατρίδα,.... καὶ τὴν αὐτῶν δύναμιν τοσαύτην ἐπιδείξαντες, ὥσθ' ὁ μέγας βασιλεὺς οὐκέτι τῶν ἀλλοτρίων ἐπεθύμει, ἀλλ' ἐδίδου τῶν ἑαυτοῦ καὶ περὶ τῶν λοιπῶν ἐφοβεῖτο, καὶ οὔτε τριήρεις ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐκ τῆς Ἀσίας ἔπλευσαν, οὔτε τύραννος ἐν τοῖς Ἕλλησι κατέστη, οὔτε Ἑλληνὶς πόλις ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἠνδραποδίσθη.* Quo-

---

33) Ejusdem oration. §. 6. 34) XII, 8.

35) „Hist.-ph. St." II, 241. sq.

36) Cf. eundem, II, p. 224. sqq. — Nihil pertinet ad nostram quaestionem, utrum pro spuriis habendae sint hae orationes necne.

37) §. 55. sqq.

rum posteriora (οὔτε τριήρεις κ. τ. λ.) non confundenda esse cum enuntiatione consecutiva, diversis, quibus scriptor usus est, temporibus manifestum fit. Ea autem, quae priore loco posita sunt, nemo non intellegit, ad res ab Atheniensibus gestas respicere, quibus factum est, ut rex non amplius aliena appeteret, sed de suo cederet et reliquis timeret. Neque negaverim iis pacem Cimonicam non indicari. Nam postquam bellum compositum est, nihil erat, cur rex timeret. Sed de iis, quae sequuntur, quid statuemus? Orator, cum illo tempore ab Asia naves directas esse negat, si non pacem ipsam, at certe statum rerum, qualis pace conciliata esse coepit, significasse videtur. Jam vero si quis nihil aliud quam quae bellum rite confectum consecuta sunt, commemoravit, pacis, qua illa sancita sunt, mentionem non fecit, non necesse est, eum pacem factam esse ignorasse. Id quod quamquam per se perspicuum est, tamen exemplo quoque, quod in promptu est, rem haud dubiam illustrabimus, quandoquidem his Lysiae verbis nec non loco prorsus simili, quem ex Platonis Menexeno infra afferemus, multum tribuimus. Isocrates igitur in Panegyrico et in Panathenaico ita loquitur, ut de foederibus, quibus bellis Persicis finis sit impositus, eum cogitasse luce clarius sit. Idem in Areopagitio pacis factae nulla injecta mentione eadem commoda, quae in Panathenaico a pace conciliata, repetit a bello composito.

Iam videndum est, quid faciamus de iis, quae disputavit Plato vel si alius aliquis Menexenum conscripsit. Quem locum non sine consilio Kruegerus[38]) minus accurate reddidit. Praedicari dicit eos, qui apud Eurymedontem Persas vicerint, quod rebus a majoribus gestis absolutam et perfectam salutem addiderint, et quod non minus ii, quam qui in Aegyptum profecti sint, eo regem adegerint, ut de sua potius salute cogitaret, quam Graecis perniciem moliretur. Nempe ubi pugnae Eurymedontiae pacem adjunctam esse demonstravit[39]), vir ille doctissimus hoc Platonis loco ita usus est, acsi ei quoque scriptori illo potissimum proelio salus Graciae perfecta esse visa sit. Longe aliter autem Platonem ibi disputare, quilibet intel-

38) p. 103. 39) p. 128.

leget, si verba ipsa, quae integra apponamus, inspexerit. *Δίκαιον δή*, inquit[40]), *καὶ τούτων ἡμᾶς ἐπιμνησθῆναι, οἳ τοῖς τῶν προτέρων ἔργοις τέλος τῆς σωτηρίας ἐπέθεσαν ἀνακαθηράμενοι καὶ ἐξελάσαντες πᾶν τὸ βάρβαρον ἐκ τῆς θαλάσσης· ἦσαν δὲ οὗτοι. οἵ τε ἐπ' Εὐρυμέδοντι ναυμαχήσαντες καὶ οἱ εἰς Κύπρον στρατεύσαντες καὶ οἱ εἰς Αἴγυπτον πλεύσαντες καὶ ἄλλοσε πολλαχόσε, ὧν χρὴ μεμνῆσθαι καὶ χάριν αὐτοῖς εἰδέναι, ὅτι βασιλέα ἐποίησαν δείσαντα τῇ ἑαυτοῦ σωτηρίᾳ τὸν νοῦν προσέχειν ἀλλὰ μὴ τῇ τῶν Ἑλλήνων ἐπιβουλεύειν φθορᾷ. Καὶ οὗτος μὲν δὴ πάσῃ τῇ πόλει διηντλήθη ὁ πόλεμος ὑπὲρ ἑαυτῶν τε καὶ τῶν ἄλλων ὁμοφώνων πρὸς τοὺς βαρβάρους· εἰρήνης δὲ γενομένης κ. τ. λ.* Et verbum quidem *εἰρήνη* jam Moschius concessit de bello potius finito, quam de pace rite composita adhibitum esse videri[40]). Quodsi Kruegerus monuit, oratorem, si pacem certam et omnibus notam commemorare voluisset, articulum adjecturum fuisse, eodem quod supra attulimus argumento hoc quoque loco uti licet. Scilicet Platoni, quod pacem non accuratius significaverit, inde non sequitur, eam omnino ignotam fuisse. Admodum vero mirum est, quod vir ille praestantissimus participia (*ἀνακαθηράμενοι κ. τ. λ.*) prorsus neglexit. Ea potius re ii qui in sequentibus enumerantur, res a majoribus gestas cumulasse dicuntur, quod barbaros de mare abegerint et depulerint. Iis autem ipsis verbis, quamvis res in majus extollatur, deprehendere mihi videor eam pacis legem, qua sancitum est, ne Persae Phaselidem navigando superarent.

Sequitur, ut locos, qui in Isocratis orationibus inveniuntur, ad nostram quaestionem pertinentes accuratius examinemus. Sed antequam de singulis locis disputemus, in universum praemoneamus, non neglegendum esse, quo quaeque tempore composita sit oratio. Ac Panegyricus quidem decem ut narratur annis elaboratus septimo post pacem Antalcidicam anno in lucem editus est. Areopagiticus utrum anno 355. an anno 346. videatur conscriptus esse, magna inter viros doctos est dissensio. Accuratissima tamen de hac re disputatione Rau-

40) „Commentat. super iis, quae de pace inter Persas victos et Graecos, Cimone duce, victores composita varie narrantur" repetit. in Seebod. Miscell. Crit. I, 2. p. 214. sqq.

chensteinius[41]) in priorem illorum annorum orationem referendam esse mihi quidem probavit. Panathenaicum denique Isocrates cum nonagesimum septimum aetatis annum ageret, publici juris fecit.

Jam ad singulos, de quibus disputandum est, locos nos convertamus. Et Panegyrico, ut inde ordiamur, orator sibi proposuit, persuadere Graecis, ut omissa inter semet ipsos concertatione communi consilio Persis bellum inferrent. Priore autem orationis parte cum ad Athenienses summam totius belli deferendam esse doceat, primum nullum alium plura in Graecos contulisse beneficia Atheniensibus demonstrat; deinde cives suscepto maris imperio optime Graecis consuluisse exponit; quod quo melius intellegatur, in comparationem vocat, qua ratione Lacedaemonii principatum administraverint. Hoc loco cum solidam et expressam imaginem malorum, quae Spartani patriae intulissent, effingit, tum acerbissimis verbis persequitur, quanto Graecis sit detrimento pax Antalcidica. Ita cum statum rerum illa pace adductum depingat, non praetermittit, ea factum esse, ut multae civitates sub imperium dicionemque Persarum caderent; indeque progessus, quales Athenienses se in Persas praebuerint, exponit. *Οὓς* inquit[42]) (sc. *τοὺς βαρβάρους*) *ἡμεῖς διαβῆναι τολμήσαντας εἰς τὴν Εὐρώπην καὶ μεῖζον ἢ προσῆκεν αὐτοῖς φρονήσαντας οὕτω διέθεμεν, ὥστε μὴ μόνον παύσασθαι στρατείας ἐφ' ἡμᾶς ποιουμένους ἀλλὰ καὶ τὴν αὐτῶν χώραν ἀνέχεσθαι πορθουμένην καὶ διακοσίαις καὶ χιλίαις ναυσὶ περιπλέοντας εἰς τοσαύτην ταπεινότητα κατεστήσαμεν, ὥστε μακρὸν πλοῖον ἐπὶ τάδε Φασήλιδος μὴ καθέλκειν, ἀλλ' ἡσυχίαν ἄγειν καὶ τοὺς καιροὺς περιμένειν, ἀλλὰ μὴ τῇ παρούσῃ δυνάμει πιστεύειν.* Deinde hunc fere in modum disputat: haec ut ita se haberent, majorum virtute effectum esse, ex fortuna Urbis apparet, quandoquidem ubi primum Athenienses principatu privati sunt, summae calamitates in Graecos ingruerunt; nam post cladem in Hellesponto acceptam Spartanis imperium adeptis barbari proelio navali vicerunt, maris imperium obtinuerunt, plurimas insulas occupaverunt, in Laconicam egressi sunt, Cythera vi ceperunt, totam denique Peloponnesum vastantes circumvectati sunt. Jam vero

41) In editione sua p. 88. sqq. 42) §. 117. sq.

pergitur[43]): *Μάλιστα δ'ἄν τις συνίδοι τὸ μέγεθος τῆς μεταβολῆς εἰ παραναγνοίη τὰς συνθήκας τάς τ' ἐφ' ἡμῶν γενομένας καὶ τὰς νῦν ἀναγεγραμμένας· τότε μὲν γὰρ ἡμεῖς φανησόμεθα τὴν ἀρχὴν τὴν βασιλέως ὁρίζοντες, καὶ τῶν φόρων ἐνίους τάττοντες καὶ κωλύοντες αὐτὸν τῇ θαλάττῃ χρῆσθαι· νῦν δ'ἐκεῖνός ἐστιν ὁ διοικῶν τὰ τῶν Ἑλλήνων, καὶ προστάττων ἃ χρὴ ποιεῖν ἑκάστους καὶ μόνον οὐκ ἐπιστάθμους ἐν ταῖς πόλεσι καθιστάς.*

Variae sunt discrepantesque virorum doctorum de hoc loco sententiae. Ac Dikema[44]) quidem, Isocratem de foederibus agentem, quae Atheniensibus principatum obtinentibus facta sint, ea significare arbitratur, quae cum imperium a Spartanis ad Athenienses transierit, inter Graecos ipsos sint icta. Scriptorem enim hoc loco ostendere voluisse, non quid Athenienses fecerint adversus Persas, sed quomodo se gesserint erga reliquos Graecos. Huic tamen opinioni ipsum totius loci contextum non favere, nemo non intellegit. Neque ab alia parte eam probabilem esse, ex iis quae infra disputabimus patebit.

Kruegerus[45]) vero priore loco, quem injuria a sequentibus diremit, pacem indicari negat; perhiberi enim barbaros potentiae suae non confidentes tempora magis opportuna exspectare, unde colligi possit, nullo foedere fuisse eos impeditos, quominus occasione si daretur uterentur. At in sequentibus Isocratem foedus quod initum sit significasse Kruegerus ipse concedit. Quae opiniones quomodo inter se conciliari possint, mihi non perspicuum est. An Isocrates dum scripsit, tam vehementer sententiam mutavit? Num credibile est, eum de condicione rerum, qualis bello composito fuerit, ita loqui, ut de pace eum cogitasse absurdum sit putare, cum non multis post verbis commoda eadem, quae antea ex bello finito, repetat ex foedere cum Persis facto? Nimirum oratori barbaros occasionem magis idoneam exspectasse narranti, ultima belli Peloponn. tempora obversata sunt.

Neque ea, quae vir doctissimus de foederibus ab Isocrate commemoratis disserit, mihi probantur. Quae quod facta esse (*συνθήκας...γενομένας*) dicantur, cum in literas relatam esse (*ἀναγεγραμμένας*) pacem Antalcidicam perhibeatur, hujus

43) §. 120. 44) p. 45. sq. 45) 106. sqq.

rei ne uno quidem verbo mentionem facere debuit. An Isocrati, ut nullus dubitandi locus relinqueretur, iisdem in utraque pace significanda utendum erat verbis? Foedera vero, quae Athenienses inierunt, in cippo incisa fuisse inde patet, quod orator adhortatur, ut legendo aliquis foedera ista cum pace Antalcidica comparet. Quamquam Krugerus non dubius est, quomodo hujus rei difficultatem infringat. „Aber er lässt“ inquit „den Athenischen Vertrag doch lesen. Allein wer mag dabei an Säulen denken; höchstens Erwähnung in Schriften darf man voraussetzen, und doch wohl nur in rednerischen. Ja kaum wird man sich des Verdachtes erwehren, dass vielleicht nur die Vergesellschaftung mit dem Lakedämonischen Vertrage auch dem Athenischen die Lesbarkeit zugezogen und dass der Redner nichts anderes bezeichne als das Lesen des einen in Vergleichung mit den (angeblichen) Bedingungen des anderen.“ Talia legentes acriter commonefacti sumus ejus loci[46]), quo Kruegerus splendidissimo sermone exponit quid sit probabilitatis modum excedere. De hac disputatione pro sua quisque de tota quaestione sententia judicabit. Nobis vero, opinor, per Krugerum licebit, alteram, quae in medio est posita, explicationem accipere. Cui ne illud quidem obest, quod scriptor de foederibus tam diversis locutus est verbis. Nam sine ulla ratione Kruegerus miratur, quod Isocrates commemoraverit, pacem Antalcidicam lapideis columnis incisam in publicis templis collocatam esse, pilarum, quae Atheniensium gloriam testentur, mentionem faciendi occasione nusquam usus sit. Neque enim neglegendum est, quo loco de pace illa ignominiosa disseruerit[47]). Altera igitur orationis parte cum Graecos ad bellum suscipiendum accendere studeat, etiam id, quod objici possit, occupans, pace Antalcidica eos alligatos negat. Ubi quanto illa Graecis sit dedecori, exponit. Nihil igitur mirum est, quod pilarum quoque istarum, quos cives in templis consecrare coacti essent, mentionem injecit.

Denique disserendum est de verbis, quibus scriptor, quanta facta sit rerum commutatio, indicavit. Et Dahlmannus[48]) quidem *τῶν φόρων ἐνίους τάττοντες* perperam intellexit de tributis,

---

46) p.98. 47) §.180. 48) p.41.

quae Athenienses exegerint. Nam hoc si dicere voluisset Isocrates, medio, non activo utendum erat. Eodem fere redit Krugeri sententia, quamquam cautius is quidem de constitutis tributis loquitur. Illis vero verbis arbitratur admodum obscure et languide eam pacis legem significari, ex qua civitates Joniae liberae factae sint. Profecto istam Atheniensium gloriam ita indicare hominis esset dicendo nihil valentis! Alia igitur explicandi ratio indaganda est. Atque meo quidem judicio enuntiationes, quarum altera incipit a *τότε μὲν ἡμεῖς*, altera a *νῦν δ'ἐκεῖνος* ita sibi oppositae sunt, ut hic fere sensus efficiatur: tum nos summam imperii obtinuimus, nunc rex Graeciam gubernat, vel: tum nos regem in jure ipsius interpellavimus, nunc ille rerum, quae in Graecia geruntur, moderator est. Sed qui dici potest, Athenienses aliquid de jure regis deminuisse, quod tributa vel potius tributorum aliquot constituissent? Rectissime Aemilius Muellerus[49]: *φόρους*, quorum Isocrates mentionem faciat, esse tributa, quae rex exegerit, eaque Athenienses pacis legibus constituisse, i. e. pactos esse, ne rex in imponendis tributis certum quendam modum egrederetur; cogitari autem posse non nisi de earum civitatum tributis, de quibus Athenienses et Persae dimicaverint. Concessisse igitur censet Athenienses Persis Graecas civitates Cypri, Pamphyliae, Ciliciae, fortasse etiam nonnullas Phrygiae et Lydiae urbes mediterraneas ea tamen condicione, ut si non omnibus, at aliquot certe civitatibus certo quodam tributo plus imponere regi non liceret. Quamquam hanc pacis legem in civitates Phrygiae et Lydiae non cadere infra demonstrabimus. Admirabili autem arte Isocrates deditione urbium Cypriarum aliarumque Atheniensibus haud gloriosa ita usus est, ut eam saltem laudem iis tribueret, quod regis Persarum potestatem circumcidissent.

Quod vero orator dicit, Athenienses fines imperii regis designasse, de ea re ut recte judicetur, reliquos ejusdem scriptoris locos opus est accuratius tractare. In Areopagitico autem haec leguntur[50]: *Οἱ δὲ βάρβαροι τοσοῦτον ἀπεῖχον τοῦ πολυπραγμονεῖν περὶ τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων ὥστε οὔτε*

49) l. l. p. 152. 50) §. 80.

μακροῖς πλοίοις ἐπὶ τάδε Φασήλιδος ἔπλεον οὔτε στρατοπέδοις ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ κατέβαινον, ἀλλὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἦγον. In Panathenaico ita loquitur[51]: Ἐπὶ μὲν ... τῆς ἡμετέρας δυναστείας οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς (sc. τοῖς βαρβάροις) οὔτ' ἐντὸς Ἅλυος πεζῷ στρατοπέδῳ καταβαίνειν οὔτε μακροῖς πλοίοις ἐπὶ τάδε πλεῖν Φασήλιδος· ἐπὶ δὲ τῆς Λακεδαιμονίων οὐ μόνον τοῦ πορεύεσθαι καὶ πλεῖν ὅποι βουληθεῖεν ἐξουσίαν ἔλαβον, ἀλλὰ καὶ δεσπόται πολλῶν Ἑλληνίδων πόλεων κατέστησαν. Hoc loco ipsas pacis condiciones scriptorem referre voluisse, in aperto est. Praedicat enim in sequentibus Atbenienses, quod generosiora et nobiliora cum barbaris fecerint foedera quam Spartani. At vix quisquam illuc adduci poterit, ut credat regi non licitum fuisse, intra Halym cum exercitu descendere. Neque tamen eorum mihi probatur sententia, qui terminos, qui Persis impositi sunt, ab Isocrate nimis propagatos esse arbitrantur. Quid enim Atbenienses agere potuerunt, cum paciscerentur, ne intra certum quoddam spatium a mari exercitus Persici mitterentur, nisi hoc, ut Graeci, qui Asiae oras maritimas incolerent, tuti fierent ab incursionibus satraparum? Atqui Isocrates libertatem istarum civitatum pace confirmatam esse nusquam commemoravit; quod hoc potissimum Panathenaici loco facere debuit[52]), quandoquidem in Spartanos invehitur, quod multas Graecas civitates Persis permiserint. Ignorasse ergo manifestum est illum condicionem, ex qua urbes istas liberas factas esse a posterioribus narratur; et hoc loco rerum statum cum pacis legibus confudisse videtur.

Jam ut revertamur ad Panegyricum ita totus iste locus constitutus est, ut τότε μὲν γὰρ .... ὁρίζοντες et νῦν δ' ἐκεῖνος .... Ἑλλήνων sibi respondeant et in universum qualis rerum condicio fuerit, significent, cum participiis, quae sequuntur, generalis illa sententia explicetur. — Denique quae in Areopagitico leguntur, prorsus non perspicio, cur ad pacem factam nullo modo referri possint. Eadem enim inveniuntur in Pan-

51) §. 59.

52) Idem cadit in locum ex Panegyrico supra descriptum; ad quem cf. §. 123.

athenaico, ubi pacem haud obscuris verbis indicari nemo non concedit.

Non opus esse arbitror, longius historiam pacis ita persequi, ut singulos scriptorum locos proferam. Nam inde ab eo tempore, quo Demosthenes orationem, quae inscribitur περὶ τῆς παραπρεσβείας, habuit, certam quandam pacis conformationem deprehendimus. Neque enim me offendit, quod pro urbe Phaselide alii insulas juxta sitas Chelidonias nominant, neque quod regio, quae copiis pedestribus Persicis adeunda non erat, aliter ab aliis definitur. Ex qua auctorum discrepantia qui argumentum petierunt, ut fictam esse pacem probarent, conferant, quam varie de pace Antalcidica veteres locuti sint. Posteriores autem maris superi locum, Persis non praeternavigandum, insulas Cyaneas addunt, urbium Jonicarum libertatem ex foedere receptam esse praedicant, spatiumque, intra quod quominus ad mare descenderet, rex impeditus sit, angustioribus finibus circumscribunt. — Neque vero difficile est ad explicandum, qui factum sit, ut novae istae condiciones adderentur. Etenim Cimonicam multo magis gloriosam visam esse quam pacem Antalcidicam nemo non intellegit. Spartani autem Graecas Asiae minoris civitates Persis prodiderant, cum Atheniensibus principatum tenentibus liberae fuissent. Quamobrem si quis foedera illa comparavit, quid est magis consentaneum, quam etiam civitatum istarum condicionem in contentionis judicium vocatam esse. Neque vero mirum est, quod Athenienses paulatim longius progressi pace ea sancita esse putabant, quae bellum finitum secuta erant. Urbes autem Asiae maritimas inde a Phaselide usque ad Chalcedonem in sua potestate habuerant. Quae si a Persis dimissae erant, non sufficiebat, quem Isocrates navigationi constitutum esse commemoraverat, terminus, Cyaneae autem insulae, non procul a Chalcedone sitae, idoneae videbantur esse, quas Persae se non superaturos esse polliciti essent. Denique ut civitates Graecae tutae essent a vexationibus satraparum, opus erat ea condicione, ut fines terminarentnr, quos transire exercitui Persarum non liceret. Hac in re aliquantum valuisse arbitror, quod Isocrates minus accurate Persas non ultra Halym copias misisse narraverat. Quod cum non credibile esset, pactos esse Athenien-

ses, spatium aliquanto minus a scriptoribus posterioribus designatum est. Quis vero non intellegit, quantum Sardes a mari distabant, ad reliquas quoque regiones eos transtulisse!

Hac disputatione ad finem perducta, breviter capita eorum, quae disseruimus, repetere libet. Silentio antiquorum historicorum haud ita multum tribuendum est. Charon et Hellanicus num pacem omiserint, non liquet; Ctesiae tacenti in rebus Hellenicis non major fides facienda est quam dicenti. Thucydides cur pacem nullo verbo attigerit, satis demonstrasse nobis videmur; atque idem cadit in Herodotum, Aristophanem, Pindarum. Contra ea in epitaphiis Lysiae et Platonis rerum statum, qualis post pacem conciliatam fieri coepit, apud Andocidem i. e. ante pacem Antalcidicam disertam pacis mentionem invenimus. Primus eorum, qui post annum 387. de illa re scripserunt, Isocrates de condicionibus pacis disserit, et ita quidem, ut eas paci Antalcidicae opponat. Neque vero mirum est, quod Lysias, Plato, Andocides ipsas pacis leges non commemoraverint, quippe cum illud Graeciae dedecus nondum ad comparandam pristinam gloriam quasi invitaret. Maxime autem mirabile est, quod Isocrates inscriptionum testimonio nisus de pacis condicionibus fere idem narrat, quod Lysias ceterique de statu rerum, qualis post bellum compositum fuit. — Posteriores gloriam ex pace Cimonicam partam magis magisque auxerunt novis condicionibus, quae paci Antalcidicae responderent, additis. Quid? si posteriorum judicio rerum post annum 449. statum aliunde notum repugnare, Isocratis narrationem cum eo convenire videbimus? Sed antequam de ea re disseramus, Crateri, Callisthenis, Theopompi de nostra quaestione sententiae examinandae sunt.

II.

Transeamus nunc ad secundum, quem proposuimus locum, qui locus est de columna pacis condiciones referente et de scriptoribus[53]), qui pacem factam esse nega-

53) Quamvis Craterus in eo numero non est, tamen ejus judicium

verunt. Atque primum quidem quaerendum est, qua ratione illorum scriptorum de pace judicia intellegenda sint et quantum auctoritatis iis tribui debeat. Nam de utraque re viri docti in diversas partes discedunt, ut nisi de hoc loco satis constet, altera de pila disputatio recte procedere non possit.

De Cratero igitur Plutarchus[54]) haec protulit: ἐν δὲ τοῖς ψηφίσμασιν ἃ συνήγαγε Κράτερος ἀντίγραφα συνθηκῶν ὡς γενομένων κατατέτακται. Craterus autem, ut Meinekii, qui hujus scriptoris reliquias accuratissima disputatione persecutus est, verbis utar[55]), „Crateri Macedonis ex Phila filius, Antigoni regis frater uterinus, ... historici auctor extitit operis, quo Atheniensium decreta publica et alia rerum gestarum monumenta ita collegerat, ut adhibitis simul historicorum testimoniis ac ne Aristophane quidem neglecto, omnem Graecarum rerum memoriam diligentissime illustraret.“ Inde manifestum fit, secus judicare de Crateri loco a Plutarcho laudato Bredowium, cujus opinionem jam a Kruegero[56]) rejectam ne commemorare quidem opus est. Paulisper vero morandum est in refutando Dikema. Is enim „fieri potest“ inquit „ut fallar, at legenti quae Plutarchus scripsit, mihi nec ipse Plutarchus videtur cogitasse de integro quodam exemplo, a Cratero ex antiquo monumento sive columna sive aliud quid esset, desumto. Etenim si hoc significare voluisset, adjecto articulo scripsisset τῶν συνθηκῶν. Nunc vero videtur tantum id voluisse dicere: Craterum exemplum inseruisse non integri foederis sicut factum et descriptum esset, sed modo pactionum quarundam digestarum, sicut vulgo foederis condiciones conciperentur. Has autem condiciones facile ex oratorum scriptis veluti Demosthenis vel Isocratis describere potuit.“ Attamen Dikema justo plus ex articulo omisso elicuit, quandoquidem perversum est, idem Atticis, idem Plutarcho adhibere judicium. Deinde verbum ἀντίγραφα ostendit, Craterum quae de pace Cimonica exhibuerit, non ex oratorum aliorumve scriptis, sed ex monumento

---

ad totam hanc quaestionem vel maxime pertinet ideoque etiam de eo hoc loco disputabimus.

54) vit. Cim. c. 13.

55) ad Steph. Byzant I, p. 714.

56) p. 118.

quodam publico desumsisse. — Quas autem illud exemplar retulerit pacis condiciones fere easdem fuisse atque condiciones a Plutarcho traditas pro non dubio sumimus. Plutarchus enim, cum etiam alibi[57]) illius testimonium ab aliis discrepans commemoraverit, eoque ex loco appareat, eum illius scriptoris librum penitus cognovisse, haud facile supersedisset disertis verbis indicare, si in Crateri collectione longe diversam de pace sententiam invenisset. Hinc etiam probabile fit, Craterum non aliter quam Plutarchum narravisse, post pugnam Eurymedontiam pacem junctam esse.

Jam accedamus ad Callisthenem, cujus de pace judicii Plutarchus mentionem facit his verbis: *Καίτοι Καλλισθένης οὔ φησι ταῦτα συνθέσθαι τὸν βάρβαρον, ἔργῳ δὲ ποιεῖν διὰ φόβον τῆς ἥττης ἐκείνης*[58]) *καὶ μακρὰν οὕτως ἀποστῆναι τῆς Ἑλλάδος, ὥστε πεντήκοντα ναυσὶ Περικλέα καὶ τριάκοντα μόναις Ἐφιάλτην ἐπέκεινα πλεῦσαι Χελιδονίων καὶ μηδὲν αὐτοῖς ναυτικὸν ἀπαντῆσαι παρὰ τῶν βαρβάρων.* Quo de loco mihi non convenit cum Moschio[59]), cujus haec est sententia: Callisthenis verbis evinci nihil nisi hoc, statim post victoriam ad Eurymedontem reportatam nullam factam esse pacem; cum vero Ephialtis exemplo utatur, scriptorem loqui de temporibus proelium illud mox insecutis neque impedire, quominus Ol. 82. 4 pacem fieri potuisse dicatur. Contra quem Dikemae verba proferre libet. Is rectissime[60]) „Plutarchus certo non scripsisset *ταῦτα* tantum, sed aliqua voce addita, *τότε* v. c., significavisset, Callisthenem eam quidem pacem, quam ipse probaret, rejicere, sed aliam alio tempore factam non in dubium vocare.“ Idem tamen non debuit impugnare Kruegerum, haud cunctanter poni posse dicentem[61]), Callisthenem cum Aristotelis discipulus et familiarissimus esset Theophrasto, aliquando Athenis fuisse et columnam, in qua pacis condiciones descriptae essent, vidisse. Certe aliis et validioribus argumentis Dikemae judicium indigere censemus. Inde enim proficiscitur

---

57) Est ille locus in vita Aristid. c. 26, coque potissimum nituntur, quae supra de Crateri collectione ex Meinekii disputatione apposuimus. 58) i. e. pugnae Eurymedontiae.

59) l. l. p. 212. 60) p. 21. 61) p. 122 sq.

ejus disputatio, ut Callisthenem Aristotelis sororis filium fuisse ponat[62]), id quod quomodo probare possit, prorsus non perspicio. Liceat nobis ejus argumentationi opponere, quae de hac re sentiat Westermannus, qui unus omnium accuratissime de Callisthene exposuit. Is vero „nihil impedit“ inquit „quominus ponamus, eum ut Alexandro aliquot annis majorem paulo prius ex Aristotelis disciplina dimissum Athenas venisse ibique cum Theophrasto amicitiam junxisse, quo tempore historiae perscrutandae operam dedisse putandus est[63]).“ Veri autem simillimum est, locum supra descriptum ex Hellenicis, quae composuit Callisthenes, desumtum esse et pacem Antalcidicam, unde rerum Graecarum historiam narrare coepit, occasionem praebuisse uberius etiam de pace Cimonica disserendi. Neque vero temere scriptorem de pace illa dubitasse, his argumentis demonstravit Kruegerus[64]). Callisthenem dicit diligenter in res, quae eo pertinerent, inquisivisse, satis apparere, quod Periclem cum L, Ephialtem cum XXX navibus Chelidonias superasse perhibuerit. Idem quod statuit, Hellenica fortasse non multo ante Alexandri in Asiam expeditionem confecta esse, ut scriptor quaecunque ad pacis veritatem probandam prolata essent, non posset ignorare, ejus argumenti vim aliquanto augeri posse arbitramur, quandoquidem nunc in confesso est, Callisthenem hoc opus dum Alexandrum comitaretur, conscripsisse[65]).

Veniamus nunc ad Theopompum. Is ut saepissime a proposito declinavit, ita de pace Cimonica fusius disputasse videtur. Nobis autem de ejus sententia judicium est faciendum ex duobus tantummodo vestigiis, quorum alterum in Harpo-

62) Hero matrem Callisthenis Plutarchus (vit. Alex. c. 55.) Aristotelis consobrinam (ἀνεψιάν) fuisse refert. Vocem autem ἀνεψιᾶς quamquam dubitari potest, num Plutarchus ea fratris sive sororis filiam vel quamlibet affinem significare voluerit, tamen pro certo affirmari potest, non intellegi posse de sorore ipsa. Cf. Westermann. De Callisthene Olynthio et Pseudo-Callisth. qui dicitur comment. pars I. p. 3.

63) ib. p. 7.

64) p. 122 sq.

65) cf. Westermann. l. l. p. 16. — De fide historica quam multi erant, qui Callistheni abrogarent, videas ejusdem judicium, ut videtur, verissimum. (p. 25 sqq.)

orationis lexico reprehenditur. Ibi s. v. *Ἀττικοῖς γράμμασιν* leguntur haec: *Δημοσθένης κατὰ Νεαίρας ἀντὶ τοῦ παλαιοῖς· την γὰρ τῶν κδ' στοιχείων γραμματικὴν ὀψέ ποτε παρὰ τοῖς Ἴωσιν εὑρεθῆναι. Θεόπομπος δ'ἐν τῇ κε' τῶν Φιλιππικῶν ἐσκευωρῆσθαι λέγει τὰς πρὸς τὸν βάρβαρον συνθήκας, ἃς οὐ τοῖς Ἀττικοῖς γράμμασιν ἐστηλιτεῦσθαι, ἀλλὰ τοῖς τῶν Ἰώνων.* Alterum ejusdem Philippicorum libri fragmentum invenitur apud Theonem. Est autem ille locus in progymnasmatum capite secundo, quo agitur *περὶ τῆς τῶν νεῶν ἀγωγῆς*. Ibi[66]) rhetor cum initio capitis praeceperit, ut discipulis loci ex veteribus scriptoribus desumti proponantur, qui memoriae mandentur, ipse multa exempla, quae idonea videantur esse, affert; inter quae etiam Theopompi locum laudat: *Παρὰ δὲ Θεοπόμπου*, ait, [*ἔστι λαβεῖν*] *ἐκ τῆς πέμπτης καὶ εἰκοστῆς τῶν Φιλιππικῶν, ὅτι Ἑλληνικὸς ὅρκος καταψεύδεται, ὃν Ἀθηναῖοί φασιν ὀμόσαι τοὺς Ἕλληνας πρὸ τῆς μάχης τῆς ἐν Πλαταιαῖς πρὸς τοὺς βαρβάρους, καὶ αἱ πρὸς βασιλέα Δαρεῖον Ἀθηναίων καὶ πρὸς Ἕλληνας συνθῆκαι· ἔτι δὲ καὶ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην οὐχ ἅμα πάντες ὑμνοῦσι γεγενημένην, καὶ ὅσα ἄλλα, φησίν, ἡ Ἀθηναίων πόλις ἀλαζονεύεται καὶ παρακρούεται τοὺς Ἕλληνας.* Et hoc quidem in confesso est ad eandem pacem referenda esse ea, quae ex Theopompo descripserunt Harpocration et Theon. Dubitari tamen aliquis possit, num pacem Cimonicam significare voluerit scriptor. Sed assentiendum est iis, qui in Theonis loco nomen Darii falso insertum esse judicaverunt. Atque Kruegerus[67]) verisimile esse dicit, illud vocabulum a sophista adjectum esse; nam etsi Dario regnante Athenienses fortasse cum Persis foedus pepigerint, tamen non tam celebre id esse, ut in splendidissimis rerum Atheniensium historiae factis numerari possit; ejusmodi autem esse foedus, quod Theopompus commemoret, quandoquidem pugnae Marathoniae adjungatur. Cui argumentationi duo potissimum obstare, Dikema arbitratus est. Qui quod contra dicit, verba *ἔτι δὲ καί*, quibus Theon ad pugnam Marathoniam transeat, id potius significari, scriptorem eas res sejungere voluisse, nimium ex illis vocabulis, quae

---

66) Spengel. Rhet. Gr. II, p. 67.

67) p. 118 sq.

non nisi transitui inserviunt, elicuit. Alterum ejus argumentum est hoc: „Cum hic locus", inquit, „a Theone non obiter perstringatur, sed ut ipse significat, in exemplum afferatur imitandusque proponatur juvenibus, haud facile fieri potuisse videtur, ut illius neglegentiae, cujus a Kruegero arguitur, se obstringeret." Unde consequi putat, aut Theonem illam vocem apud Theopompum scriptam invenisse aut Theopompum illo loco ita locutum esse, ut non facile quis verba ejus legens de pace Cimonica cogitaret. Quod argumentum me ita movet, ut non a Theone illud vocabulum insertum esse arbitrer, sed a librariis, cum praesertim etiam verba[68]), quae sequuntur, *καὶ πρὸς Ἕλληνας* corrupta sint. Nam ne mihi quidem Darii nomen recte se habere videtur. Foedus, quod Athenienses anno 510. cum Dario vel potius cum Artapherne inierunt, nullius fere momenti erat neque ita multo post ruptum est. Talem igitur pacem vix credibile est, Athenienses centum plusve annis[69]) post quam facta esset, in memoriam revocasse et novae columnae inscriptam proposuisse. — Alia quoque re haec nostra argumentatio confirmatur. Theopompus libro vicesimo quinto, quae primo Ol. 108. anno facta essent, narravit. Id temporis Aeschines in publicum prodiit, et cives adhortaturus ut Philippi impetus propulsarent, non solum quae contra Persas egregie facta essent, laudibus extulit, sed etiam quae Miltiade et Themistocle suadentibus scita jussaque essent, et juvenum jusjurandum illud praeclarum recitavit. Ad alia quoque prioris aetatis monumenta, dicit Schaeferus[70]) (a quo mutuati sumus, quae supra disputavimus) Aeschinem provocasse videri; nam eas potissimum actiones, verisimillimum

---

68) Ea non magis in pacem Cimonicam quam in foedus Dario regnante factum quadrare, quilibet intellegit. Assentiendum est Spengelio, qui *Δαρεῖον* et *πρὸς Ἕλληνας* uncis inclusit.

69) Athenienses non ante Euclidis magistratum, qui est annus secundus Ol. 94, publice Jonicis literis usos esse pervulgatum est. Itaque quod inscriptiones, quas Theopompus inspexit, Jonicis literis incisae erant, ejus rei nulla causa aeque probabilis afferri potest, ac si statuamus eas post illud demum tempus confectas esse. — Ceterum hac de re infra fusius disputandum erit.

70) „Demosth. u. s. Z." II, p. 157.

esse, Theopompum respexisse, cum jusjurandum, quod ante pugnam Plataeensem Graeci jurassent, et foedus, quod Athenienses cum rege Persarum junxissent, commenticia esse diceret. — Atqui nihil erat, cur Aeschines obscurum illud cum Dario foedus commemoraret; contra haud facile quis, opinor, bella Persica praedicans eo quidem tempore exitum eorum gloriosissimum praetermiserit. Ergo non dubium est, quin Theopompus de pace Cimonica disseruerit.

Hac difficultate remota dijudicandum est, quid in Harpocrationis loco significet ἐσκευωρῆσθαι. Nam ne de ea quidem re inter viros doctos convenit. Dahlmannus ἐσκευωρῆσθαι „inspiciendi“ significationem habere eamque vocem ad subjectum (Θεόπομπος) referendam esse censet, ut scriptor se inspexisse dicat inscriptiones easque non Atticis sed Jonicis literis confectas esse. Neque tamen eam opinionem comprobaverim. Nam quamquam loci a lexicographis[71]) laudantur, ubi σκευωρεῖν inspiciendi vel potius investigandi sive perscrutandi significatione usurpatum sit, tamen nulla causa satis idonea esse videtur, cur illud gloriae Atheniensium monumentum reconditum abditumque fuisse credamus. Nihil ergo relinquitur, quam ut alteram eamque solemnem significationem adulterinum pro vero supponendi admittamus. — Ex toto autem Harpocrationis loco apparere multi putant, Theopompum subditicias esse istas inscriptiones inde collegisse, quod Jonicis literis eas confectas esse videret. Quod argumentum non satis firmum esse arbitrati sunt, aliamque alii viam ingressi sunt, ut explicarent cur Jonicae in inscriptionibus illis adhibitae sint literae. Ac Meierus[72]) quidem „Theopompi argumento,“ ait, non multum tribui potest; quid enim si foedera haec Jonicis non solum literis, sed etiam verbis scripta erant? quam in opinionem facile adduxerit non neminem forma vocis πλέειν illo Plutarchi loco, quamquam etiam Thucydides (IV, 28.) πλέει dicit.“ Contra quem rectissime disputavit Kruegerus[73]) hunc in modum: praeterquam quod illa vox mero librarii errore irrepere potuit, a scriptoribus posterioribus sat multis locis syllabarum contractio quam ajunt grammatici, omissa est, talesque

71) E. g. a Rostio s. v. 72) „De bonis damnat.“ p. 118.
73) p. 120. sq.

formae non contractae ne Atticae quidem dialecto abjudicandae sunt; porro Plutarchum etiamsi quas Craterus retulisset, condiciones verbo tenus repetere voluisset, vix credibile est, id egisse ut una tantum litera cognosceretur, se inscriptionem Jonicis literis incisam referre. — Neque magis prior earum, quas Grotius proposuit, explicationum admitti potest. Is enim Jonicis literis usos esse Athenienses putat, quod pax pertineret ad civitates potissimum Jonicas. Ejusdemque generis est explicandi ratio, quam Kruegerus arbitratur, aliquem inire posse, Jonicum usurpatum esse sermonem, quod Persae ejus periti fuissent. Quam opinionem vir ille doctissimus ipse firmissimo refutavit argumento, quod non minus in Grotii sententiam cadit. Scilicet Persarum aut civitatum Jonicarum nullam rationem habuisse putandi sunt Athenienses in ponenda columna, quae suae ipsorum gloriae testimonio esset. — Cum vero desperandum sit, his rationibus satis expediri posse, cur istae inscriptiones Jonicis literis confectae sint, a Grotio et multis aliis alia eaque haud spernenda explicatio proposita est. Neque enim neglegendum est, centum plusve annos praeteriisse inde a foedere icto usque ad Theopompi aetatem. Nonne fieri potuit, ut pila genuina rescinderetur et postea Athenienses tale gloriae monumentum reficiendum curarent? Qua in re Jonicis potius literis id temporis usitatis quam Atticis eos usos esse, quis est qui neget?

Concidere igitur dicat aliquis Theopompi de pace Cimonica judicium, quandoquidem monumentum renovatum pro subditicio habuerit. Sed profecto paulo durius et injustius in aestimando illo scriptore ageret. An Theopompus tantae judicii temeritatis erat, ut risum vel puero moveret et nullo negotio refutari posset? Sine dubio si quae inscriptio reficiebatur, simul etiam quo id tempore factum esset, insculpi solebat. Quod indicium si in pila pacem Cimonicam referente non invenit Theopompus eam suppositam esse recte conclusit, aut si forte quod Boeckhius[74]) in titulo quodam Tralliano accidisse demonstravit, ut asyli tuendi causa ex antiquiore quarti a. Ch. n. saeculi Tiberio imperante transscriberetur nullo quo id factum esset tempore no-

74) Corp. Inscr. Graec. II, p. 584. „Monatsber. d. Berl. Akadem. 1854. p. 427. sq.

tato, in illa pacis Cimonicae inscriptione accidit, alias et gravissimas quidem causas ex rerum historia petere poterat, ut suam de monumento sententiam comprobaret. Neque enim Harpocrationis locus supra laudatus impedit, quominus statuamus, Theopompum, ut istum titulum adulterinum esse censeret, aliis causis adductum esse quam quod Jonicis literis esset incisus.

Nihil restat quam ut dicamus, cur Plutarchus Theopompi sententiam non commemorasse videatur. Cui rei justo plus tribuit Dikema. Hoc loco quod Kruegerus facile fieri potuisse censet, ut scriptor, qui tot rebus memoriam onerasset, singulare aliquid oblivisceretur, eam explicationem vix admittendam esse arbitror[75]), quandoquidem ut praeter alios demonstravit Ekkerus[76]), iu ipsa Cimonis vita Theopompus quamquam non memoratus, haud tamen a Plutarcho neglectus est. Quidni ponamus, Plutarchum ut in Demosthenis ita in Cimonis vita conscribenda decimo tantummodo Philippicorum libro usum esse. Is enim fere totus versabatur in demagogis Atheniensium, ut a quibusdam instar singularis libri laudaretur[77]).

Sequitur ut de pila, quae Atheniensium gloriam testatatur, disputemus. Theopompus ut satis demonstrasse mihi videor, inscriptiones pacis condicionis referentes non injuria subditicias esse judicavit. Sed multum abest ut concedam, eam rem quidquam valere ad dijudicaudum num pax facta sit. Inscriptiones, ad quas Isocrates auditores amendat, longe diversae fuerunt ab iis, quas Theopompus in dubium vocavit, Craterus collectioni suae inseruit. Nam hoc si negamus, nullo modo explicari potest cur tantum ab Isocrate discesserint ii qui postea de pace locuti sunt. Quid? quod Isocrates sancitum esse tradidit, ne a Persis civitatibus quibusdam aequo plus imponeretur? Earum nomina nonne pilae inscripta erant? Atqui Craterus ne uno quidem verbo hanc pacis legem attigit. Plutar-

75) Luculentissimum hoc est exemplum, ut demonstretur, qua ratione Kruegerus quaecunque non ex sua re sint, commutet. Theopompi igitur judicium Plutarchus memoria lapsus omisit, Charonis et Hellanici sententiam sciens prudensque non commemoravit!

76) „Plut. Cim." praef. p. 29.

77) Cf. Mueller. frgm. hist. Gr. I, p. 71.

chum enim hoc non fugisset. Quis enim credat, Plutarchum tam incuriose Crateri verba legisse, ut non videret, quantum a communi posteriorum de pace opinione inscriptiones ab illo descriptae distarent? Quis credat, Plutarchum si apud Craterum longe diversam a ceteris narrationem invenisset, rem adeo mirabilem memoriae non proditurun fuisse? Sequitur ergo columnam, quam Craterus descripsit, non eandem fuisse atque eam, cujus testimonio Isocrates usus est.

Sic igitur statuo, ut hunc scriptorem existimem genuinam inspexisse pilam, posteriore autem tempore novae columnae, quae tum circumferebantur, pacis leges incisas esse. Quae sententia etiam inde probatur, quod a posterioribus scriptoribus pactos esse Athenienses perhibetur, ne Persae certo quodam spatio inferius ad mare descenderent. Talem omnino condicionem inter eos convenisse vix adduci possum ut credam. Nam sive quingentorum sive quadringentorum stadiorum illud spatium erat, ut erat Asia minor tanta sinuum multitudine interrupta, fieri non poterat, ut Persae conventis starent. Prorsus vero non intellego, quid hac in re sancitum sit de iis regionibus, quae circa Phaselidem et insulas Cyaneas erant. Inspiciamus Asiam minorem in charta quadam depictam, et terminos istos constitutos lineola notemus. Quam in coeli partem a Phaselide et insulis Cyaneis eam ducendam esse putabimus? At dixerit fortasse quispiam non tam accurate spatium illud designatum esse. Sed in pactionibus faciendis ita agi solet, ut nullus dubitandi locus relinquatur. Pacis igitur legem tam incertam et ambiguam non credibile est, initam esse. Quae cum ita sint, eam ne colunmae quidem genuinae inscriptam fuisse nemo non concedet.

In temporum quoque computatione errorem commisisse videntur ii, qui gloriae Atheniensium monumentum refecerunt. An non erraverunt, qui pacem post pugnam Eurymedontiam conciliatam esse tradiderunt? — Copiosa argumentatione Kruegerus hoc probavit, neque tamen tam multis opus erat verbis. Sed de hac re postea disputandum erit. Nunc hoc unum moneamus, non adeo mirum esse, quod posteriores illi pugnae pacem adjunxerint. Multo enim plus laudis allatum videbatur ex proelio Eurymedontio quam ex Cyprio. Et omnino confu-

sas esse a multis istas simillimas inter se pugnas quilibet intelleget, si ea quae de iis rerum scriptores prodiderunt, examinaverit. Etiam epigramma quoddam, quo praeter Kruegerum nemo, opinor, pugnam Eurymedontiam praedicari censet, Aristides (mutatis verbis ἐν Κύπρῳ in ἐν γαίῃ) ad eam retulit pugnam, Diodorus, quod illam lectionem retinuit, inductus videtur esse, ut de proelio apud Eurymedontem commisso non recte exponeret[78]. — Liquet vero increbruisse opinionem, pacem post pugnam Eurymedontiam factam esse. Cui rei testimonio sunt Lycurgi, Plutarchi, Aristidis, Himerii, Ammiani Marcellini, Suidae qui huc pertinent loci. Unus Ephorus, ex quo haud dubie Diodorus suam narrationem hausit, ab altera parte stat[79]. Etiam Callisthenis auctoritate hac in re uti licet. Qui enim fieri potuit, ut ille scriptor post pugnam Eurymedontiam pacem esse conciliatam negaret, nisi ad id tempus ista res a vulgari referebatur opinione. Num vero credibile est, talem errorem tam late se diffusurum et inveteraturum fuisse, si cuilibet ex columna posteriore tempore posita vel ex Crateri psephismatum collectione eum corrigere licuisset. Probabilitatis modum non excedere mihi videor, si istam pilam Lycurgi et reliquorum opinioni non offecisse statuam, eamque si non falsum, at certe nullum pacis tempus exhibuisse.

Num vero Athenienses fictas condiciones lapidibus incisas proponebant? Probavit Kruegerus[80] non aeque ac nostratibus religionem fuisse Graecis, quominus gloriam suam ficticiam monumento quodam publico confirmarent. Videntur autem Athenienses cum pacis memoriam reficiendam curarent, non eo impudentiae processisse, ut vulgarem id temporis et a veritate discedentem opinionem in formam justi et genuini pacis monumenti redigerent, sed epigramma quoddam, quo pax illa gloriosissima praedicaretur, pilae insculpsisse[81]. — Denique quo

78) Cf. Krueger. l. l. I, p. 64. sqq.

79) Idem accuratissime de hac re disputavit. (p. 126. sqq.)

80) p. 82.

81) Epigrammatis vestigia quaedam deprehendere mihi videor in spatii significatione ἵππου δρόμον et in ea re, quod Chelidonias insulas pro Phaselide Cyaneis oppositas invenimus; quas significationes magis poëticas Demosthenes, Plutarchus, Aristides, Himerius aeque usurpaverunt.

tempore columna genuina interierit, accuratius definiri non potest nisi quod ea quae Isocrates in Panegyrici l. l. disserit, ostendunt, usque ad annum 380. eam perdurasse.

Ut paucis complectar ea quae adhuc disputata sunt, duas invenimus de pace narrationes, duas pacis columnas. Illarum altera, quam in scriptis ante pacem Antalcidicam aut paulo post confectis reperimus, genuina nititur columna; altera, cujus auctores sunt Lycurgus et posteriores scriptores, certam induit formam inde ab eo tempore, quo nova columna posita est. Per temporis autem spatium, quod praeteriit inter interitum genuinae pilae et renovationem pacis monumenti, gloria ex pace parta a rhetoribus paulatim adaucta est; in comparanda pace Cimonica cum Antalcidica fictae condiciones additae, quae tamen veritatis speciem habebant, quod ex statu rerum, qualis anno 449. esse coepit, derivabantur. Hujus autem ipsius studii vestigia vel in Isocratis Areopagitico et Panathenaico extant. — Denique quod Theopompus et Callisthenes de pace Cimonica dubitationem moverunt, eorum judicium non adeo multum valet, quandoquidem posterioris narrationis, non pacis veritatem, si modo eam impugnaverunt, in dubium vocare debuerunt.

III.

Jam agendum est de argumentis quae ex tota illorum temporum historia petuntur. Ac primum quidem dubitari non potest, quin pax si unquam facta est, post expeditionem anno 449. in Cyprum susceptam sit conciliata. Neque enim quisquam sibi persuaserit, futurum fuisse, ut Athenienses paucis annis post quam bellum rite compositum esset, pacem frangerent. Contra vere judicavit Grotius, inde a victoriis ad Cyprum reportatis omnes aperti et manifesti belli impetus ab Atheniensibus et Persis esse iutermissos. At enim, dicat aliquis, Pissuthnes Samiis deficientibus auxilium tulit. Sed nullus veterum scriptorum de hac re ita locutus est, ut appareat, Persas bellum renovasse ei visos esse; et nobis ne ad eam quidem explicationem confugiendum est, cum in paciscendo

civitatum Jonicarum nullam rationem esse habitam statuimus[82]). — Rerum autem condicio pugna apud Salamina Cypriam commissa ejusmodi erat, ut et Athenienses et rex Persarum ad bellum componendum inclinarent. Cimon enim, qui omnibus nervis connixus erat, ut Persas armis persequerentur Graeci, morte occubuerat, et Pericles, qui illo vita defuncto, solus rempublicam moderabatur, aversus erat a longinquis expeditionibus. Adde quod quamdiu cum Persis bellum gerebatur, commercia, quae fuerant cum Aegyptiis et Phoenicibus, non poterant non jacere. Deinde vero Athenienses in Aegypto rem male gesserant. Rex tamen intellexit, se Aegyptios rebellantes, nisi illi non amplius iis suppetias ferrent, non compressurum esse. Neque in Cypro quidem Atheniensibus omnia prospera processerant. Nam quod Diodorus narrat, Citium eos expugnasse et post geminam victoriam reportatam nonnullas urbes in suam potestatem redegisse, hac in re tam longe recedit a Thucydide, ut ei vix quisquam fidem habere possit. Itaque Persae quamquam cladem acceperant, tamen non eo adacti erant, ut quascunque Athenienses proponerent pacis condiciones, eas accipere cogerentur. Ex aequo potius utrique de pacis legibus egisse putandi sunt. Quamobrem non vituperandi sunt ii, qui vix credibile esse putaverunt, pacem in eas condiciones convenisse, quas posteriores scriptores traderent. Neque Grotius dubitationem praecidisse mihi videtur, cum non neglegendum dicit, quanta Athenienses Persis concesserint. Nam quod pollicitos eos esse censet, se in nullam, quae regi pareret, regionem incursionem facturos, per se apparet, si bellum componatur, adversus eos qui subjecti sunt alterius imperio, alteri non licere hostilia agere. Itaque quamquam non negaverim, Persas postulasse, ut tale quid nominatim (uti solebat) sanciretur, tamen non illuc adduci possum,

---

82) Haud alienum esse arbitror, in comparationem vocare ea quae post pacem inter Athenienses et Spartanos anno 421. factam acciderint. Illi Argivis auxilio venerunt, utrique pugnae apud Mantineam commissae interfuerunt. Nihilo tamen secius Thucydidi (V, 25.) Athenienses foedera non ante violasse visi sunt, quam a. 414. Laconicae oras vastarent.

ut credam hoc ut impetrarent, descendisse eos ad pacis leges a posterioribus praedicatas.

Videamus nunc quae earum condicionum, in quas Grotius et Aemilius Muellerus pacem convenisse statuerunt, cum rerum statu ex aliis testimoniis satis noto congruant.

Aegyptiis non amplius praesidio fuisse Athenienses in aperto est. Nullum enim expeditionis ullius post annum 449. in eas regiones susceptae reprehenditur vestigium. Quid? quod Philochorus narravit, archonte Lysimachida (Ol. 83, 4.) Psammetichum ex Aegypto ter decem milia modiorum misisse. Schaeferus cum hujus rei mentionem faceret, de duabis dixit cogitari posse causis, quibus Psammetichus rex Libyae, Inari ut videtur filius, adductus videretur, ut Athenienses largitione augeret, scilicet aut voluisse eum ab iis impetrare, ut denuo auxilium afferent, aut cumulatissimam gratiam iis referre, quod apud regem Persarum pro ipso deprecati essent. Quarum explicationum illa, quam vir ille praestantissimus probabiliorem esse judicavit, optime quadrat ad ea quae Plutarchus vit. Pericl. c. 20. exhibet. Ibi enim Pericles impetum civium, qui vehementer cuperent, ut Aegyptus iterum tentaretur, compescuisse narratur[83]).

Deinde Cyprum ab Atheniensibus dimissam esse inde apparet, quod Thucydides[84]), quo loco socios eorum enumerat, eam insulam non commemorat. Neque tamen credibile est, ab Atheniensibus civitates Graecas, de quibus tamdiu cum Persis dimicaverant, eorum arbitrio proditas esse. Quamobrem maxime probabilis est Aemilii Muelleri sententia supra prolata. Qui quod idem sancitum esse putat de urbibus Graecis Pamphyliae et Ciliciae, quod de civitatibus quibusdam Cypri, non intercedo, quominus hoc statuatur. Attamen minus recte judicavit, eandem pacis condicionem ad nonnullas Lydiae et Phrygiae urbes mediterraneas pertinuisse; id quod ex iis, quae infra disseremus, patebit.

Jam transeamus ad eam pacis legem, ex qua urbes Jonicae a Persis dimissae esse dicuntur. Ac non con-

83) Philochori fragment. vid. apud Mueller. frgm. hist. Gr. I, p. 399. 84) II, 9.

tinenter omnes istas civitates Atheniensium fuisse, apparet ex fortuna Antandri et Adramyttii. Antandrus postquam a Lesbiis octavo anno belli Peloponn. expugnata est, eodem anno ab Atheniensibus est recuperata. Postea autem Tissaphernem eam urbem in suam dicionem redegisse, inde manifestum fit, quod Antandrii anno 411. Arsacem praefectum Tissaphernis ex urbe ejecerunt[85]). Adramyttium quoque in Persarum potestate fuit. Decimo certe belli Peloponn. anno Pharnaces Deliis hoc oppidum ad habitandum dedit[86]). Neque vero dubium est, quin ea civitas antea socia fuerit Atheniensibus. Nam etsi in catalogi tributorum reliquiis, quae ad nostra usque tempora perduraverunt, ejus nomen non invenitur, tamen Craterus eam urbem in numero civitatum Atheniensibus tributariarum retulit[87]). Persas igitur hanc pacis condicionem non custodisse patet. At dicat aliquis Grotio assentiens quod foedus male servetur, inde non sequi, non factum esse foedus. Et profecto omnes fere civitates Jonicae eo, quo pax Cimonica reconciliata esse dicitur, tempore Atheniensibus paruisse videntur. Nam quae Dikema p. 62. disputaverit, non recte se habere satis firmis argumentis demonstrari potest. Is igitur censet, Lampsacum, Myuntem, Magnesiam, Percoten, Palaescepsin[88]) si unquam a rege defecissent, postea rursus subjectas esse; Teuthraniam, Halisarnen, Pergamum, Gambrium, Palaegambrium, Myrinam, Grynium[89]) perpetuo in dicione regis Persarum fuisse videri. Sed Lampsacus cum anno 411. ab Atheniensibus desciverit[90]), necesse est, antea iis fuerit subdita. Idem de Myunte statuendum est, quandoquidem anno 428. ab ea urbe profectus Lysicles in Cariam incursionem fecit[91]). Huc accedit, quod haec oppida memorantur in catal. trib. n. IV. aliisque[92]). Eandem ob causam Percoten, Myrinam, Grynium in civitatibus Atheniensibus stipendiariis nume-

---

85) Cf. Thuc. IV, 52., ib. 75., VIII, 108. 86) V, 1.

87) Cf. Meinek. Stephan. Byzant. p. 715. Boeckh. „Staatsh." II, p. 371. cl. p. 658.

88) Notum est, has urbes Themistocli a rege Persarum datas esse.

89) De iis conferre jubet Xenoph. Hell. III, 1. 6.

90) Thuc. VIII, 62. 91) eund. III, 19.

92) Boeckh. „Staatsh." II, p. 702, 709.

rare licet [93]). Reliquarum nomina non inveniuntur in catalogo tributorum, neque tamen omnes urbes, quae Atheniensibus stipendia pendebant, eo continentur. — Facile igitur aliquis non sine veritatis specie statuat, pactos quidem esse Athenienses, ut Graeci, qui oram maritimam incolerent, liberi a vexationibus atque immunes essent, satrapas autem conventis non stetisse. Attamen huic sententiae per se haud improbabili obstat, quod ex Herodoti loco quodam apparet, a rege Persarum nunquam rite dimissas esse illas civitates. Scriptor autem ille, cum narrat Artaphernem seditione urbium Jonicarum sedata, agros mensum, tributa iis imposuisse, his utitur verbis [94]): τὰς χώρας σφέων μετρήσας..... φόρους ἔταξε ἑκάστοισι, οἳ κατὰ χώρην διατελέουσι ἔχοντες ἐκ τούτου τοῦ χρόνου αἰεὶ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ὡς ἐτάχθησαν ἐξ Ἀρταφέρνεος· ἐτάχθησαν δὲ σχεδὸν κατὰ τὰ αὐτὰ τὰ καὶ πρότερον εἶχον.

Magna est inter viros doctos de hoc loco dissensio. Kortuemius [95]) sic statuit, ut ex descriptione tributorum aestimationeque ab Artapherne facta ab Atheniensibus constitutum sit, quid quaeque civitas ad bellum Persis inferendum daret. Quem perperam judicare Dahlmannus [96]) et Kruegerus [97]) demonstraverunt. Tributa potius ea, quae a Persis imposita erant, ab Herodoto significantur. Jam vero negari non potest, Graecas Asiae minoris civitates si non omnes, at plurimas pugna ad Mycalen commissa a Persis defecisse, et in Atheniensium societatem receptas, quae ex foedere deberent, contulisse. Quod quomodo congrueret tributis ab Herodoto indicatis, alii aliter explicaverunt. Lachmannus civitates illas bina tributa primum satrapae pro agris, deinde Atheniensibus tulisse dicit [98]). In eadem fere opinione est Dahlmannus [99]), nisi quod Graecos ad eam rerum condicionem concessisse censet, postquam nimia spe concipere desiissent. — Sed quis crediderit, duplicatum tributi onus iis placuisse! Et ut concedatur, non defuisse, qui suum commodum libertati praeferrent, Athenienses certo non passuri fuerint, omnibus eam intercedere condicionem cum Per-

93) ibid. p. 719., 709., 678. sq. 94) VI, 42.

95) „Zur Gesch. hellen. Staatsverf.“ p. 50.

96) p. 94. 97) p. 92. sqq.

98) In dissertat. supra laudat. p. 26. 99) p. 107. sq.

sis. Nam aeque ac nono decimo belli Peloponn. anno impediebant, quominus Persae ex urbibus Graecis tributa exigerent, sine dubio hoc ne fieret, etiam antea enitebantur. Denique si Dahlmanno assentias, quid de eo tempore censebis, quo recentes a defectione Graeci tributi collationem abnuebant? Cui rei non convenirent verba Herodotea ἐκ τούτου χρόνου αἰεὶ ἔτι καὶ ἐς ἐμέ. Itaque cogitandum est de vectigalibus, quae solvebantur usque ad pugnam ad Mycalen factam, deinde vero si non exigebantur, at postulabantur. — Grotius vero Herodotum judicavit non loqui de solutione, sed de descriptione tributorum; aestimationem omnium urbium Jonicarum sicut in Persarum tabulas publicas esset relata, non mutatam esse, solutio tributorum ut fieret, Persas ante annum 412. non coegisse. Sed hoc concesso, satis firmum ad Grotii sententiam refellendam argumentum nacti sumus. Cur tandem Persae non desinebant, urbes istas in tributariarum numero referre? Hoc cur facerent, nihil fuisset, si pace Cimonica sancitum esset, ut civitates illae dimitterentur. Deinde vero rectissime Dikema[100]): „Herodotus narrans quid urbibus Jonicis post defectionem a Persis receptis evenerit, non potuit id tantum dicere voluisse, ab Artapherne aestimationem tributorum factam esse, verum illis urbibus vectigalia esse imperata et exacta eadem qua antea ratione.“ — Denique dicendum est, quod tempus Herodotus verbis ἐς ἐμέ significavisse videatur. Fortasse aliquis hac pacis Cimonicae condicione, de qua agimus, induci possit, ut ea vocabula ad id potissimum tempus, quo pax facta est, referat. Nam etiamsi istae urbes defecerant, tamen nihil erat, cur antea Persae rite de iis decederent. Huic tamen opinioni obstat, quod scriptor praesenti tempore usus est. Neque enim si rerum commutatio esset facta, Herodotus eam ignorare potuisset, neque ita locutus esset, ut expressis verbis nihil mutatum esse significaret. Ceterum quousque temporis illa verba pertineant, definiri non potest. Hoc certe constat, Herodotum non prius quam peregrinationes suscepisset, historiarum libros confecisse; Persarum vero imperium eum adiisse vix credibile est, antequam bellum compositum esset.

---

100) p. 61.

Jam vero ab iis, quae ex Herodoto confecimus profecti, etiam de Thucydidis locis[101]) qui hoc loco in censum veniunt, aliter atque Grotius sentiemus. Sed de hac re Dikema tam egregie disputavit, ut idem aliis proferre verbis supersedeamus. Apponere nobis liceat ea, quae vir ille doctissimus sub finem suae de civitatum Jonicarum statu disputationis proposuit[102]): „Quae ab Artapherne descripta fuerant tributa, et urbibus Jonicis imposita, neque mutata et continenter exacta sunt, etiam postquam plures civitatum Graecarum in Asiae ora positarum, Atheniensium victoriis de Persis reportatis excitatae, a rege defecerant. Cum autem eae urbes, quae ope Atheniensium defecerant, per longius breviusve tempus cogi non possent, ut tributa constituta pensitarent, vel si quae subinde ad tempus, Atheniensium potentia fretae, nollent vel ab iis impeditae non possent solvere, tamen satrapae, in quorum provinciis sitae erant, in aerarium regium solitas pecunias conferre cogebantur; quippe cum reges Persici semper totam Asiam, etiam maritimam partem suae dicionis esse perhiberent, neque, quae inde redibant pecuniae, sibi minui paterentur. Fieri quidem potuit, ut interdum reges minus severe a satrapis vectigalia, quae ipsis non solverentur, exegerint vel omnino remiserint; hoc vero si factum est, magis benevolentiae cuidam in satrapas bene meritos vel necessitati ab Atheniensium potentia profectae tribuendum fuerit, quam quod reges de jure suo, quod sibi vindicarent, quidquam cesserint"[103]). Eam si statuimus civitatum Jonicarum fuisse condicionem, optime explicari potest, qui factum sit, ut identidem satrapae Persarum sociis Atheniensium rebellantibus praesidio essent. At enim objiciat aliquis, Athenienses suis commodis male inservivissent, si in pace facienda non perfecissent, ut urbes sibi sociae ab incursionibus barbarorum tutae essent. Sed quid est cur non putemus, egisse quidem eos de ista pacis lege, haud tamen impetrasse, ut rex de suo jure decederet? Ea autem res Atheniensibus tanti momenti esse non potuit, ut pacem prorsus

---

101) VIII, 5 et 6. 102) p. 63. sq.

103) Idem fere sentit Kruegerus (p. 96.) neque discedit ab hac sententia Boeckhius („Staatsh." II, p. 662. sq.)

repudiarent, quippe qui tantum classe maritimisque rebus valerent, ut socios contra satrapas se defensuros esse sperarent. — Denique quam non sit verisimile sancitum esse, ne Persae intra certum quoddam spatium ad mare descenderent, supra demonstravimus.

Sequitur ut disputemus de terminis, quos Persarum navigationi constitutos esse narratur. Neque vero hoc loco neglegendum est, Atheniensibus eosdem quos Persis fines esse impositos; id quod quamquam a nullo scriptore memoriae est proditum, per se manifestum est. Pace igitur Cimonica sancitum esse dicitur, ne Persae Atheniensesve Phaselida insulasque Cyaneas classe praeterirent. Et insulas quidem Cyaneas Persae post pacem conciliatam videntur non superasse navigando. Neque id est adeo mirum. Nam omnino, quantum equidem sciam, in Ponto iis naves longae non erant. Contra Athenienses supra fines constitutos egressos esse non desperamus nos demonstraturos esse. Et si Dikema auctoritatem sequeremur, Periclis in Pontum expeditio huc pertinere posset videri. Is enim eam ad pacem convenire negat. Attamen in medio relinquendum est, num post pacem cum Persis compositam Pericles in Pontum vectus sit. Plutarchus[104]) enim qui solus hujus rei auctor est, non indicavit, quo id factum sit tempore. Nihilo minus ex iis, quae ab illo narrantur, argumentum petere licet, quo aliquo certe modo nostra de pace sententia confirmetur. Grotius[105]) ex eo Plutarchi loco conjectari posse censet, Sinopen, si nondum socia fuerit Atheniensibus, tum ab iis in societatem receptam esse atque etiam verisimile esse, alios quoque ad foedus Atticum accessisse. Quamquam Sinope non diu in eorum potestate mansisse videtur, quandoquidem Thucydides in enarrandis Atheniensium sociis ejus non meminit. Curtius[106]), ubi de eadem re disserit, Athenienses fines societatis usque ad Chersonnesum Tauricam propagasse dicit. Sine dubio cogitavit de Nymphaeo, quod iis talentum pependisse Craterus commemoraverat[107]), maximeque probabile est alias quoque in

---

104) vit. Pericl. c. 20. 105) „Gesch. Griech.“ III, p. 322.
106) „Griech. G.“ II, p. 208.
107) cf. Meinek. l. l. p. 715. Boeckh. l. l. p. 371, 658.

illis regionibus urbes socias factas esse. Nonne igitur Athenienses, si eam pacis condicionem, de qua sermo est, admisissent, aditu ad civitates Ponticas, quarum societatem non omiserunt, interclusi essent? — Adde quae Thucydides IV, 75 narrat. Lamachus octavo belli Peloponnes. anno cnm decem navibus in Pontum vectus Heracleam cursnm direxit. Heracleenses enim, si Jnstino[108]) fides habenda est, ob amicitiam regum Persicorum tributi collationem abnuerant. Lamachus vero navibus repentina tempestate amissis cum exercitu per fines Bithynorum Chalcedonem profectus est. Athenienses igitur foedus violasse putandi sunt, id quod eo magis mirum videretur, quod quam vehementer cuperent, Persas sibi adjungere, eo ipso tempore ostenderant. Nam hieme superioris anni una cum Artapherne legatos Ephesum miserant[109]), scilicet, ut Persas ad suas partes perducerent. Qui legati comperto Artaxerxem mortuum esse infecta re illi quidem redierant, sed nihil interea factum erat, quod Athenienses inducere posset, ut in amicitia non manerent. —

Contra ea condicio, ex qua utrisque non licebat, Phaselidem navibus longis praetervehere, non neglecta videtur esse. Quae res ex iis ipsis Thucydidis locis patebit, ex quibus Kruegerus contrarium sequi arbitratus est. Ac primum quidem, quae de bello cum Samiis gesto uarrantur, huc pertinent. Res ipsa tam nota est, ut non opus sit, enarratius eam exponere[110]). Dikema vero non in aperto esse censet, quamobrem Pericles metueret, ne Phoenicum naves advenirent. „Sive verus" ait[111]) „nuntius ei allatus erat, regis praefecti temere pacem factam fregisse dicendi suut,....sive falsus nuntius fuit, Pericles tam parum fidei habuisse dicendus est paci, ut necesse sit credamus, eum jam antea aliis rebus eo adductum esse, ut nunc quoque Persas foedus factum nihil pensi habere putaret". Sed fere fit, ut foedera, etiamsi in aeternum icta sint, rumpantnr, si alteri videatur usui esse. In maximum vero pericnlum Athe-

108) XVI, 3. 9. 109) cf. Thuc. IV, 50.

110) Subtilissime Grotius (l. l. III, p. 333, sqq.) ea quae a scriptoribus de hoc bello tradita sunt, examinavit.

111) p. 54. sq.

niensium opes adducebantur illo bello, quippe quod initium esset belli socialis. Quod cum haud ignoraret Pericles, ut erat cauto animo, amicitiae cum Persis junctae non nimis confidendum esse putabat. Neque tamen ipse fines, qui navigationi constituti erant, egressus est. Phoenicibus enim obviam iturus non longius processit, quam ex pace Cimonica licitum erat. Atque etiam naves, quas antea miserat, ut classem hostium specularentur, in Cariae littore collocatae erant. —

Transeamus nunc ad alterum locum[112]), quo haud obscure pacis condiciones respici multi sunt, qui putent. Vicesimo igitur belli anno Athenienses ad Tissaphernem legatos miserunt, ut per eum Alcibiade se interponente cum rege Persarum foedus conciliarent. Alcibiades autem, qui nomine satrapae cum civibus egit, tanta ut concederent postulavit, ut Athenienses pacis condiciones dimitterent. Poposcit enim ut Jonicam et insulas juxta sitas cederent; quod cum impetrasset, *ναῦς ἠξίου ἐᾶν βασιλέα ποιεῖσθαι καὶ παραπλεῖν τὴν ἑαυτοῦ γῆν ὅπῃ ἂν καὶ ὅσαις ἂν βούληται.* Optimi codices praebent *ἑαυτοῦ*, reliqui *ἑαυτῶν*. Et recte quidem Kruegerus *ποιεῖσθαι καὶ παραπλεῖν* dictum esse censet pro *ποιησάμενον παραπλεῖν*. Reliqua quae ab eodem disputantur, subtiliora quam veriora mihi videntur esse. Primum enim utramvis aliquis recipiat lectionem, secus judicavit, ea quae Alcibiades postulaverit, non potuisse respicere pacem Cimonicam, quandoquidem ab utrisque ea violata fuerit et paulo ante foedus cum Persis initum sit, quod afflictis Atheniensium rebus conciliatum, vix credibile sit, Persis interdixisse, ne ultra Phaselidem navigarent. De foedere illo subobscuro quid statuendum sit, supra disputatum est, neque non probasse mihi videor, pacis condiciones, quales quidem nos fuisse arbitramur, ab utrisque observatas esse. — Deinde vir ille doctissimus metu, non foederibus Persarum navigationem limitatam fuisse, censet inde apparere, quod Tissaphernes eodem tempore Lacedaemoniis classem Phoenicum adjuncturus sit, et Thucydides cur hoc omissum sit, nonnullas afferat causas, sed ne simulasse quidem Tissaphernem commemoret, foedere cum Atheniensibus icto se obligatum esse. Sed hoc si fecisset, Tissaphernes me

112) VIII. 56.

quidem judice stulte fecisset. An tam aperte significare debuit, quam ambigua erga Lacedaemonios ageret fide, ut foedere cum Atheniensibus inito se astrictum esse simularet, quominus regis copias adjungeret Lacedaemoniis? — Jam vero lectione ἑαυτοῦ probum sensum effici Kruegerus negat. Quod legati Atheniensium, dicit, quamvis jam Jonia et finitimis insulis cessissent, diutius de foedere agere noluissent, necesse esse, ut ultima Alcibiades postulatione Athenarum ipsarum salutem in periculum vocaverit; eam vero non nisi vulgata ἑαυτῶν contineri; Persas enim ea lege usos cum magna classe ad Atticae littus advehi, repente Athenis non paratis bellum inferre easque perdere potuisse. At hoc potissimum tenendum est, in Thucydidis loco laudato de *longis* tantummodo navibus cogitari posse; Tissaphernem igitur postulasse, ne earum numerus limitaretur. Etenim navibus mercatoriis, Athenienses non impedierant, quominus Asiae oram praeterveherentur. Neque minus periculosum non potuit non videri, circa oram Asiae qnam circa ipsam Graeciam Persis licere navibus longis navigare. Scilicet verendum erat, ne si Aegaeum mare intrare iis permissum esset, neglectis foederibus Athenas ipsas oppugnarent. Neque enim mihi persuadere possum, hoc fieri non potuisse, nisi si Atheniensium fines attingere barbaris liceret. —

Denique demonstrandum nobis est, Atheniensibus post pacem conciliatam *cum Aegyptiis et Phoenicibus commercia fuisse*. Qua in re duo sunt obvii Thucydidis loci, quorum alterum quidem Kruegerus huc pertinere negabit. Vicesimo igitur belli Peloponn. anno Lacedaemonios, narrat Thucydides[113]), cum sex navibus circa promunturium Triopium navigasse, ut naves, quae ex Aegypto venirent, interciperent. Probavit autem vir ille praestantissimus, eas naves Atheniensibus commeatus advexisse; neque quod Aegyptus Persarum regis imperio paruerit, impedire censet, quominus inde frumenta apportata esse Atheniensibus ejusdem regis hostibus statuamus. „Hoc enim“ ait[114]) „tempore Aegyptii sub Amyrtaeo in libertatem se videntur vindicasse“. Quam sententiam falsam esse, demonstrari non potest; neque enim constat, quo anno Aegy-

---

113) VIII, 35. 114) ad Histor. Dionys. p.356.

ptii Dario II Notho regnante desciverint. Quamquam Diodorus[115]), qui primus istius defectionis mentionem injecit, anno 410. eam rem tribuit[116]). — Alter[117]) ejusdem scriptoris locus simili ratione explicari non potest. Ibi vero narratur, Melesandrum cum sex navibus ab Atheniensibus missum esse, ut in Caria et Lycia tributa exigeret, et piratas Peloponnesios prohiberet, ne navibus a Phaselide et Phoenice et ex illa continente venientibus insidiarentur. — Tum afferre libet, quae inveniuntur in libello, qui inscribitur *περὶ Ἀθηναίων πολιτείας* et Xenophontis nomine vulgo fertur. Quem nunc in confesso est antequam Atheniensium potentia clade Siciliensi esset infracta, conscriptum esse. Ibi hunc in modum disputatur: ὅ *τι ἐν Σικελίᾳ ἡδὺ ἢ ἐν Ἰταλίᾳ ἢ ἐν Κύπρῳ ἢ ἐν Αἰγύπτῳ ἢ ἐν Λυδίᾳ ἢ ἐν τῷ Πόντῳ ἢ ἐν τῇ Πελοποννήσῳ ἢ ἄλλοθί που, ταῦτα πάντα εἰς ἓν ἠθροίσθη διὰ τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάττης*[118]). — Quid plura? Satis apparet, Atheniensium mercatores ad eas quoque regiones, quae Persarum imperio subjectae erant, post pacem factam commeasse. Neque vero credibile est, futurum fuisse, ut rex mercatu eos non prohiberet, nisi bellum rite compositum esset. Athenienses autem, opinor, nihil antiquius habuerunt, quam ut Aegyptus et Phoenice navibus suis aperirentur. Eandem pacis legem etiam ad Jonicas urbes Atheniensibus socias

---

115) XIII, 46.

116) Clinton (Fast. Hellen. conv. Krueger. p. 328.) anno 414. Aegyptios jugo se exnisse putat; quem secus judicare Boeckhius („Manetho" p. 357.) demonstravit. Boeckhius ipse Aegyptios dicit circa annum 411. videri descivisse, eamque ob rem Diodorum l. l., ubi res anno 410. gestas narret, regis cujusdam Aegyptii mentionem facere, qui de Phoenice consilia ceperit. Gutschmidius (ad Sharpii hist. Aegypti vers. Jolowicz. I, p. 126. N. 1.) et ipse Diodori locum supra laudatum affert et ex Diod. I, 44. apparere dicit, anno 410. Amyrtaeum defecisse. Ibi autem memoriae proditum est, Persas Aegyptiis inde ab eo tempore, quo Cambyses eos in dicionem suam redegisset, (h. e. inde ab anno 525.) addito defectionum tempore CXXXV annos imperasse. Ex quo loco qua ratione Gutschmidius effecerit, anno 410. Aegyptios in libertatem se vindicasse, non perspicio. Hoc unum pro certo affirmari potest, anno 410. Aegyptios non amplius sub imperio Persarum fuisse; in quem annum defectionis initium inciderit, non liquet.

117) II, 69.

118) c. 2. §. 7.

pertinuisse arbitror, quibus ut cum incolis Asiae mediterraneae mercaturam factitare liceret, vix nominatim sancitum esse crediderim. Easque ob causas supra dixi, paci illi gloriossissimae fortasse nihil nisi pactionem quandam mercatoriam subesse. —

IV.

Postremo loco dicendum est de Callia. Qui num pacem conciliaverit, dixerit forsitan quispiam, nihil eam rem pertinere ad dijudicandum utram ficta sit pax Cimonica an revera composita; fieri enim potuisse, ut Calliae familia nobilissima et opulentissima falso pacis conciliandae honore decoraretur. Attamen concedendum est, Calliae legationem et pacem ipsam ita inter se junctas esse, ut si illam in dubium vocandam esse probetur, scriptorum, qui istas duas res colligaverunt, tota de pace narratio in suspicionem veniat. Restat igitur, ut virorum doctorum, qui de Calliae legatione dubitaverunt, judicia examinemus.

Petiverunt autem argumenta partim ex aetate ejus, quam ex aliis testimoniis definiri arbitrati sunt, partim ex discrepantia de legatione illius narrationum. — Atque ut ordiamur a priore argumento, oportebit de universa Calliae familia exponere, ita tamen, ut eae tantummodo res, quae certo alicui tempori adscribi possint, commemorentur. Videndum enim est, ne si Calliam quendam anno 449. Susa legatum esse statuis, istius familiae genera ultra quam verisimile sit dirimantur; quam tamen argumentandi rationem admodum lubricam esse videbimus. De familia[119]) igitur illa, cujus haec potissimum propria erant, ut Hipponici et Calliae nomina alternatim obtinerent et daduchiam filius a patre acciperet[120]), haec memoriae prodita sunt: Hipponicus I, cum Solon reipublicae statum ordinaret, inhoneste divitias sibi parasse dicitur, Callias I, Phaenippi, fratris ut vide-

---

119) cf. Boekh. „Staatsh." I, p. 629. Corp. Inscr. Gr. I, p. 441. Krafft. in Pauly „Realencycl." s. v. Callias.

120) Quae Kruegerus contra disputavit (p. 132.) non tantum valent, ut Boeckhii sententia repudianda videatur esse.

tur Hipponici, filius, Pisistrato vehementissime adversabatur, anno 564. in Olympiis victoriam reportavit, Hipponicus II anno 490. pecuniis, quas Eretrienses quidam apud eum deposuerant non redditis, rem suam auxisse traditur, Calliam II abditis divitiis Persicis potitum esse narrant, quam fabulam alii anno 490., alii anno 480. adscribunt, Hipponicus III uxorem, ex qua Calliam genuerat ante annum 451. repudiavit[121]), anno 424. in proelio apud Delium commisso mortem occubuit, Callias III ante annum 451. natus est, anno 371. cum Spartanis de pace egit. — Jam vero quod Callias quidam pacem Cimonicam conciliasse narratur, cadit non nisi in eum, cui secundi significationem tribuimus. Quaeritur num si Calliam II anno 449. in vivis fuisse sumas, plus quam probabile sit temporis spatii singulis familiae generibus attribuas. Hipponicus III cum ante annum 451. uxorum repudiaret, sine dubio ante annum 471. natus est; Callias III, filius ejus, post annum 371. diem supremum obiit. Patris igitur et filii aetas centum plusve annos explet. Quam ob rem nulla est causa cur non Calliae I, Hipponici II, Calliae II vita centum et quinquaginta plusve annorum spatium conficere potuerit. Itaque ab hac parte nihil impedit, quominus putemus Calliam II anno 449. superstitem fuisse. Quid quod satis certum argumentum nactus esse mihi videor, quo probetur eum post annum 445. mortuum esse. Neque enim dubium est, quin Callias II — quod Schaeferus monuit, — in eo numero fuerit, qui anno 445. cum Spartanis tricennalem pacem conciliaverunt. Diodorus[122]) quidem, qui legatorum id temporis missorium nomina Calliae et Charetis commemorat, non diserte significavit hunc Calliam Hipponici filium esse; attamen cum paulo ante (cap. 5.) de Callia pacis Cimonicae conciliatore exposuerit, verisimillimum est, de eodem cap. 7. sermonem esse. Adde quod Xenophon[123]) dicentem facit Calliam III, hospitia cum Spartanis non se solum

121) Eam a Pericle ante annum 451. in matrimonium ductam esse Curtius (Griech. Gesch. II. p. 190.) dicit. Cujus sententiae nullam ille quidem rationem attulit, sed eo probatur, quod Xanthippus, quem Pericles ex illa uxore procreavit, complures annos Tisandri filiam in matrimonio habuisse videtur, antequam anno 430. peste absumeretur.

122) XII, 7. 123) Hell. VI, 3. 4 sq.

habere, sed patris patrem a patre accepta posteris tradidisse suamque familiam ita ornari ab Atheniensibus, ut et exercitibus praeficiantur et ad pacem faciendam creentur. Quae verba cum si inter civitates de aliqua re agendum erat, hospites legationis quasi quoddam privilegium haberent[124]), summopere probabile reddunt, Calliam Hipponici filium anno 445. in legatorum numero fuisse[125]).

Jam Kruegeri de hoc loco sententiam refellamus. Is igitur hunc fere in modum disserit: „Callias pugnae Marathoniae interfuit et daduchia eo tempore functus est, quem honorem qui inierat, haud facile potuit minor esse triginta annis; Ol. 82, 4. igitur Callias ad minimum septuaginta annis major fuisset. Neque vero credibile est, senem tam provectae aetatis ad molestum Susa iter faciendum aptum fuisse" [126]). Attamen hujus rei difficultatem infringere posse mihi videor. Ac primum quidem difficilis est ad definiendum aetas, qua superata alicui non tantum sit roboris, ut legationis molestias suscipere possit. Callias III major sexaginta annis Atheniensium hoplitis praefuit[127]), major octoginta annis Spartam legatus est missus[128]). — Deinde quae de ea ratione, qua Callias facultates auxerit, narrantur, non ejusmodi sunt, ut iis fides habenda sit. Pugna igitur apud Marathona commissa Persa quidam Calliae daducho multum auri in fossa quadam abditum ostendisse dicitur; ille vero occiso barbaro divitiis potitus *Λακκοπλούτου* cognomen invenisse fertur. Quam narrationem Boeckhius recte judicat, simillimam esse fabulae, quae non veras contineat res, eamque ex cognomine Calliae et ex iis, quae de patre circumferebantur, ortam esse, cum pro pugna Marathonia ab aliis Salaminia mutata paululum fabella nominetur. — Attamen sic statuere

124) Cf. Thuc. V, 43. 2.

125) Huc fortasse pertinent quae Suidas s. v. *Καλλίας* tradidit. Confudisse videtur legationes, quarum Callias alteram anno 449. Susa, alteram anno 445. Spartam suscepit. Ille Suidae locus non integer esse videtur. Hoc unum praeterea monuerim Curtium (Griech. Gesch. II, p. 184. 691. n. 32.) hoc solo testimonio usum esse, ut anno 445. de pace Cimonica actum esse statueret; at certe indicare debuit, quam dubio loco haec sua opinio niteretur.

126) p. 132. 127) Xenoph. Hell. IV, 5. 11.

128) ibid. l. supra l.

aliquis possit, ut existimet non prorsus rejiciendam esse narratiunculam, sed Calliam daduchi munere fungentem apud Marathona pugnasse. Id quod eo probari videatur, quod scholiasta ad Aristophanis Nubes (v. 64.) refert: *Καλλίας ὁ δᾳδοῦχος ὁ ἐν τῇ ἱερᾷ στολῇ προελθὼν ἐπὶ τὴν μάχην εἰς Μαραθῶνα.* Hanc tamen ad opinionem non quadrant, quae de Hipponico Calliae patre narrata sunt[129]), eaque non minus sunt fide digna. Daduchia enim familiae illi competebatur, ut patre mortuo ad filium deferretur. Callias igitur, cum Hipponicus anno 490. in vivis esset, non poterat eodem tempore daduchus esse. — Neque opus quidem est hac argumentatione. Nam in fabulis de aliquo fictis, quo is vixerit tempore, nonnumquam neglectum esse, luculentissimo exemplo est etiam illa de Alcmaeonidarum divitiis narratiuncula, quam Herodotus (VI, 125.) memoriae prodidit. Ut Calliarum opulentia a Persis, ita Alcmaeonidarum a Croeso repetebatur; et uberius Herodotus exponit, qua ratione Alcmaeon Megaclis filius illius, qui Clisthenis filiam Agaristam in matrimonium duxit, se locupletaverit. Quae narratio in ipso legendo non potest cuiquam non videri aut ficta aut poetarum modo exornata; neque difficile est ad demonstrandum tempori, quo Alcmaeon vixerit, eam non convenire[130]).

Ac de hoc loco satis dictum videtur esse. Sequitur ut exponamus, quomodo quae de ipsa legatione traduntur, inter se conciliari possint. Plutarchus[131]) Calliam amplissimis honoribus ornatum esse narrat; id quod non congruere cum iis, quae apud Demosthenem legantur, multi sunt, qui arbitrentur. Is[132]) enim de Calliae legatione his loquitur verbis: *ἐκεῖνοι* (i. e. majores) *τοίνυν, ὡς ἅπαντες, εὖ οἶδ' ὅτι, τὸν λόγον τοῦτον ἀκηκόατε, Καλλίαν τὸν Ἱππονίκου ταύτην τὴν ὑπὸ πάντων θρυλουμένην εἰρήνην πρεσβεύσαντα, ἵππου μὲν δρόμον ἡμέρας πεζῇ μὴ καταβαίνειν ἐπὶ τὴν θάλατταν βασιλέα, ἐντὸς δὲ Χελιδονεῶν καὶ Κυανεῶν πλοίῳ μακρῷ μὴ πλεῖν, ὅτι δῶρα λαβεῖν*

129) Cf. ea, quae supra ex Athen. XII, 52. p. 536. de Hipponico II apposui.

130) Conferantur Herod. verba *μετὰ δὲ γενεῇ δευτέρῃ ὕστερον κ. τ. λ.* (VI, 126.) et I, 26.

131) vit. Cim. c. 13.

132) *περὶ τῆς παραπρεσβείας* §. 273. p. 428. sq. Reisk.

ἔδοξε πρεσβεύσας μικροῦ μὲν ἀπέκτειναν, ἐν δὲ ταῖς εὐθύναις πεντήκοντα ἐπράξαντο τάλαντα. „Qnid", ait Meierus[133]), „si pax composita est, regem incitavit, ut legatum donis corrumperet, cum tam ignominiosam pacem nullis etiam donis redimere posset? et legatus qnidni, tanta mercede accepta, operam navavit, ut regi minus ignominiosae leges imponerentur?" Et prorsus similia apud Kruegerum[134]) aliosque invenies. Pergit vir ille doctissimus: „Quid autem est, quod Demosthenem in errorem induxerit? Hoc, ni fallor; audivit Demosthenes Calliam ad regem legatum esse missum, audivit qninquaginta talentorum mulctam eum civitati solvisse; conjnnxit utramque famam et Calliam ob male obitam legationem hanc dedisse mulctam tradidit, idque eo libentius quod e re sua erat, cum Aeschinem hac oratione male obitae legationis accusaret." In eademqne opinione est Kruegerus. Qui quod Demosthenem in hac re minime probabili justis de causis non offendisse dicit, non protulit, neque posse eum proferre censeo, quibus causis scriptor ille praestantissimus inductus sit, ut historiam corrumperet. Neque enim Demosthenes unus est ex grege vilium rhetorum, quibus, ut Ciceronianis utar verbis, concessum est ementiri in historia, ut aliquid dicere possint argutius. Itaque tale quid in se admisisse eum, non ausus sim statuere, si alia ratione ea, quae narravit, explicari possunt. Et hoc quoque loco Aemilium Muellerum[135]) verum vidisse arbitror, cujus haec fere est sententia: „Pacem qua nihil erat magis alienum ab iis, quae Cimon sibi proposuerat, sine dubio ii, qui cum Cimone stabant, acerrime impugnabant. Eosdem Calliam pacis reconciliatorem in jus vocasse verisimile est; et si Callias donorum a rege acceptorum convinci poterat, consentaneum est, largitionis acceptae eum punitum esse." — At dixerit fortasse quispiam, hoc si recte se haberet, prorsus non liquere, qui factum sit, ut Plutarchus Calliae summos honores esse habitos narraret. Sed quinam erat honores, quibus ille ornatus est? Testatur Pausanias[136]) juxta simulacrum Pacis Plutum puerum

133) de bonis damn. p. 120. 134) p. 116.

135) l. l. p. 153.

136) I, 8. 3. (2.) „*ἐνταῦθα Λυκοῦργός τε κεῖται χαλκοῦς ὁ Λυκόφρονος καὶ Καλλίας ὃς πρὸς Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου τοῖς Ἕλλησιν ὡς*

ferentis et imaginem Lycurgi spectari statuam Calliae. Quam diu post Calliae mortem positam esse Boeckhius [137]) probavit. Cum vero id proprium sit hominum naturae, ut praesentia invidia, praeterita veneratione prosequantur, quid est cur non putemus Athenienses posteriore tempore, quo pacis gloria in majus augeretur, Calliae quoque meritum praemium persolvisse, eique monumentum collacasse [138]).

Reliquum est ut de Herodoti qui huc pertinet loco [139]) disseramus. Quo de loco ut recte judicetur cum non negligendum sit, quid in antecedentibus narretur, breviter rerum contextum exponamus. Graeci igitur, quibus salus patriae curae erat, ut Herodotus memoriae prodidit, comperto Xerxem Sardibus esse, congregati praeter alia decreverunt, Argivos evocare, ut arma cum ipsis consociarent. Argivi vero, id se facturos esse polliciti sunt, si foedus tricennale cum Lacedaemoniis iceretur et imperii dimidium ad se deferretur; cumque Spartani in hanc condicionem non concessissent, societatem

---

'Αθηναίων οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ἔπραξε τὴν εἰρήνην. Integra Pausaniae verba apposuimus, quod huic loco reservavimus refutationem Kruegeri, qui nimium ex iis elicuisse videtur. Ex ea enim re, quod Pausanias dicat *ὡς 'Αθηναίων οἱ πολλοὶ λέγουσιν* apparere censet, si non omnes Graecos, at certe eruditos videri de pacis veritato dubitasse (p. 123.) Alio loco (p. 77.) hunc in modum disserit: „Cum nomina eorum, qui pacem jurejurando dato sanxerant, in columnis, quae collocabantur, inscribi solita sint, sequitur iis qui de Calliae legatione dubitabant, etiam monumentum ejus gloriae suspectum esse visum. Pacem igitur ipsam eos in dubium vocasse verisimile est.“ At haec argumenta non satis firma esse, ex iis, quae supra disputavimus, patere arbitramur. Scilicet inde ab eo tempore, quo Theopompus commenticias esse inscriptiones contendit, non mirum est, quod Athenienses in diversas de pace Cimonica sententias discesserunt. Quamquam vix credibile est, scriptoris illius opinionem a vulgo receptam esse, tamen non video, qui ex Pausaniae verbis effici possit, haud obscure eum significare, pacem esse non nisi in populi Atheniensium rumoribus.

137) „Staatsh.“ II, p. 504.

138) Nihil attinet disputare de ara Pacis quae Plutarcho teste propter pacem Cimonicam ab Atheniensibus posita esse fertur. Neque enim Dahlmanno assentior, qui scriptorem, cum arae et Calliae honorum mentionem faciat, id agere dicit, ut pacem tueatur. (p. 82. sq.)

139) VII, 151.

recusaverunt. Ita rem se habuisse Argivi dicebant. Alii narrabant, Xerxem Argos legatum misisse, qui Argivis persuaderet, ne contra Persas arma susciperent, illosque, ut quiescere sibi liceret, istam tulisse condicionem, quam Lacedaemonios non accepturos esse haud ignorarent. Jam pergit Herodotus: συμπεσεῖν δὲ τούτοισι καὶ τόνδε τὸν λόγον λέγουσί τινες Ἑλλήνων, πολλοῖσι ἔτεσι ὕστερον γενόμενον τουτέων, τυχεῖν ἐν Σούσοισιν τοῖς Μεμνονίοισι ἐόντας ἑτέρου πρήγματος εἵνεκα ἀγγέλους Ἀθηναίων, Καλλίην τε τὸν Ἱππονίκου καὶ τοὺς μετὰ τούτου ἀναβάντας, Ἀργείους δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον πέμψαντας καὶ τούτους ἐς Σοῦσα ἀγγέλους εἰρωτᾶν Ἀρτοξέρξεα τὸν Ξέρξεω εἴ σφι ἔτι ἐμμένει τὴν πρὸς Ξέρξεα φιλίην συνεκεράσαντο, ἢ νομιζοίατο πρὸς αὐτοῦ εἶναι πολέμιοι. Fatetur deinde scriptor se pro certo affirmare non posse, num Xerxes Argos legatum miserit, legatique Argivorum num Artaxerxem de amicitia interrogaverint. — Varia sunt virorum doctorum de hoc loco judicia. Kleinertii opinionem accuratius cognoscere nobis non licuit. Ceterum recte se habere videntur ea, quae Kruegerus[140]) contra dicit. Reliqua ab eodem disputata adeo non mihi probantur, ut in alia omnia discedam. Atque quod Herodotum negat vocibus πολλοῖσι ἔτεσι ὕστερον usum fuisse, ut rem decem fere annis post expeditionem Xerxis factam significaret, rectissime Dikema[141]) hoc argumentum non tantam vim habere dicit, si pax ad annum 449. referatur. Pacem vero si unquam conciliata sit, non post pugnam Eurymedontiam compositam esse, in aperto est. Neque de vocabulis ἑτέρου πρήγματος εἵνεκα Kruegerus recte judicavit. Nihil aliud ea significare posse arbitratur, quam Athenienses de re quadam legatos misisse quae ad rem in antecedentibus narratam non pertineret. Sed Athenienses, qualecunque erat, de quo cum Artaxerxe egerunt, luce clarius est, non eorum causa, quae multis ante annis gesta essent, Susa venisse; et inepte fecisset Herodotus, si hoc significare voluisset. Nihil igitur relinquitur, quam ut Larcheri explicationem accipiamus, qui „pour une autre chose“ ait „c'est à dire, pour une autre affaire que celle pour laquelle y encoyaient les Argiens; cette affaire était la

---

140) p. 122. sqq. 141) p. 14.

paix avec les Perses.“ Neque me offendit, quod legationem Argivorum scriptor non antea commemoravit. Quid enim est cur non per anticipationem quasi quandam illa verba ad sequentia referantur. — Dahlmannus[142]) autem ea de pace Cimonica intellegenda esse negat, quod hoc si statueretur, idem Athenienses, idem Argivi in animo habuissent. At hi amicitiam quae nunquam dissoluta erat renovaturi, illi bellum rite compostituri erant. Quodsi Herodotus illam de pace Cimonica legationem tam obscuris verbis indicavit, nihil aliud quam quae ab aliis circumferrentur narravit. Denique refutanda sunt ea, quae Kruegerus primo loco protulit. Ex oratione obliqua, qua usus sit Herodotus, apparere dicit, eum Calliae quoque legationem in dubium vocasse; neque mirandum esse quod capite sequente non disertis verbis indicetur istam quoque incertam esse, cum ea ad rem ibi narratam non pertineat. Sed cum scriptor nihil aliud ageret, quam ut quae de Argivis narrarentur, referret, Dahlmanno est assentiendum, qui non dijudicari posse censet, utrum Herodotus legationem Calliae afferat ut rem ipsi exploratam et probatam necne. Alia tamen ratione evincitur, narrationem illam non omni fundamento destitutam esse. Quid enim est cur legationis Calliae mentio injiciatur? Hoc, ni fallor: legatorum Atheniensium auctoritate uti volebant, ut ea quae de Argivis proderent, probarent. Manifestum vero est eos narrationi de Argivis dubiae re quadam non minus dubia et incerta fidem non aucturos fuisse. — His expositis apparet, perperam judicasse viros doctos, qui de Calliae legatione dubitaverint, eoque argumento ad pacis veritatem impugnandam usi sint.

Haec fere habui, quae de pace Cimonica exponerem. Satis firmis argumentis me evicisse arbitror, neque iis, qui cum Kruegero fecerint, neque iis, qui in Grotii partes transierint, assentiendum esse. Ille enim nihil aliud probavit, quam pacem non in eas convenisse condiciones, quae a posterioribus scriptoribus traduntur, et ab hac potissimum parte Grotii de pace Cimonica sententia impugnari potest. Neque tamen absurdum esse illorum opiniones ea, qua nos fecerimus, ratione inter se conciliare satis demonstrasse nobis videmur.

142) p. 13.

VITA.

Natus sum, Robertus Hermannus Hiecke, Merseburgi a. d. III. Id. Septembr. anno h. s. XLI, patre Roberto, matre Luisia e gente Kiesslingia. Matrem piissimam praematura mors aliquot abhinc annis eripuit. Pater carissimus superiore anno subita morte exstinctus est. — Fidem profiteor evangelicam. Literarum primordiis imbutus, anno h. s. L adii gymnasium Gryphiswaldense, cui ut praeesset pater tum vocatus est. Unde postquam per novem annos et dimidium freqnentavi, anctumno anni LIX cum maturitatis testimonio dimissus sum; praeceptoribus, quibus eo tempore usus sum, imprimisque Rassowio et Nitzschio, nunc palam gratias agere cum maxime juvat. Tum rectore magnifico v. ill. Feilitzsch civibus academicis adscriptus philologicis studiis operam dedi. Per trieunium docentes audivi vv. ill. Schoemannum, Hertzium, Schaeferum, Georgium, Hoeferum, Susemihlium, Reuterum. Seminarii philologici, cui praeerant viri praestantissimi Schoemannus et Hertzius, per unum semestre sodalis, per duo senior fui; atque etiam societati historicae Schaefero moderante et exercitationibus philosophicis Georgio duce interfui.

Horum virorum omnium memoria nunquam ex animo discedet, praecipue vero virorum humanissimorum Schoemanni, Hertzii, Schaeferi, qui non modo per totum studiorum tempus singularem benevolentiam erga me praestabant, sed etiam me acerbissima patris morte afflictum erigebant et omni ratione adjuvabant. Toti autem philosophorum ordini amplissimo gratias ago maximas, quod summa munificentia mihi summos in philosophia honores impetrandi potestatem fecit.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Apud Quintil. XI, 2, 29. legendum esse: aut si erit tardus ad hoc, eo quoque adhuc remedio utatur, ut ipsae notae — hoc enim est ex illa arte non inutile — aptentur ad eos qui excidunt sensus.

II.

Ibid. XI, 2, 32: velut oculis intuetur non paginas modo, sed versus prope ipsos, cum dicit, similis legenti.

III.

Horatium promiscue nomine gentilicio et cognomine usum esse.

IV.

Aeschyl. Sept. 338. fortasse ita restituendum est: τοῦ δ' ἐκ τῶνδ' εἰκάσαι λόγος πάρα;

V.

Thucyd. VIII, 56, 5. retineam optimorum codicum lectionem τὴν ἑαυτοῦ γῆν.

VI.

Croesum a patre in regnum non acceptum esse.